DECISIONES REGIÆ AVDIENTIÆ ARAGONIÆ, IN PROCESSV Ludouicæ de Sanctafe, &c. super Apprehensione Hæreditamenti de MARECA,

& aliorum bonorum temporalium, & mere profanorum. Quarum materia in processu Francisci de Blancas, super Apprehensione eiusdem Hæreditamenti in eadem Regia Audientia denuo refricatur. Et in quarum altera Serenissimi, ac potentissimi Domini nostri Catholici Regis Philippi asseritur, explicatur, & defenditur Iurisdictio, ad cognoscendum in processu Apprehensionis de proprietate rei temporalis; & profanæ contra personas Ecclesiasticas conuentas, quæ in Articulo Tenutæ obtinuerunt.

PRO COLLEGIO CÆSARAVGVSTANO Societatis IESV.

Auctore Doctore MARTINO GODINO *Regio in Aragoniæ Regno Consiliario.*



QVONIAM admodum Reuerendum, & Illustre Capitulum sacrosanctæ Ecclesiæ Metropolitanæ Ciuitatis Cæsaraugustæ, & eius Archidiaconus prætensi Domini directi Villæ, seu potius Hæreditamenti de Mareca, olim in processu Ludouicæ de Sanctafe, & aliorum apprehensi, illud denuo in commissum accepère ob quasdam assertas caducitates, propter quas in processu Francisci de Blancas, super apprehensione dicti Hæreditamenti propositionem obtulere. Et licet dictarum caducitatum aliquæ in dicto processu Ludouicæ de Sanctafe contra eos fuerint iam decissæ, in eoque dicto processu sententia quædam interlocutoria post definitiuam lata contineatur, qua per Regiam Audientiam pronuntiatum fuit; executoriales literas cuiusdam super petitorio sententiæ a Romana Rota in fauorē dictorum Capituli, & Archidiaconi latæ, non esse ponendas in executione,

ne,necapprehensionem tollendam,nec restituendum dictum Hæreditamentum dictis Capitulo & Archidiacono Actoribus exaduerso. Et quia easdem litteras executoriales dictæ prætensæ sententiæ denuo in dicto secundo Processu Francisci de Blancas producunt, eandem quæstionem refricantes. Ideo operæ pretium esse duximus, antequam ad ostendendum dictam interlocutoriam sententiam, in fauorem Regiæ iurisdictionis pronuntiatam, iustissimum esse, accedamus, singulas caducitates in dicto secundo Processu Francisci de Blancas, a dictis Actoribus propositas singillatim percurrere, vt melius dicta sententia pro Regia iurisdictione ab Regia Audientia prolata, & eius iustitia intelligatur, & clarius, ac lucidius innotescat.

Et in primis, necesse est litem & quæstionem agere tantum, & decidere inter Rectorem, Patres, & Collegium Societatis Iesu Cæsaraugustanos ex vna, & dictos Capitulum, Canonicos, & Archidiaconum dictæ Ecclesiæ Sedis Cæsaraugustanæ ex altera, super assertis propositis caducitatibus, a dictis Capitulo & Archidiacono, tamquam prætensis dominis directis, propter causas, in sua propositione, in dicto secundo processu Francisci de Blancas oblata, propositas & allegatas. Ijs enim sublatis Propositio a dictis Rectore & Patribus, vt dominis bonorum in dicto processu apprehensorum oblata, de plano procedit, & venit recipienda. Qui veniunt virtute cuiusdam legati in sui fauorem, a D. Marquesia de Moncayo, & D. Francisca Cornel in suis vltimis testamentis relicti, ad dictum Hæreditamentum, vulgo dictum de Mareca, & ad reliqua bona, in dicto Processu apprehensa. Quod Hæreditamentum dicta D. Marquesia, per relationem ad quædam Capitula matrimonialia, in dicto suo testamento recognouit, quoad terras, seu prædia sancti Saluatoris, in dicto Hæreditamẽto existentia, tributariũ esse dictis Capitulo & Archidiacono dictæ Sedis.

Sed vt id ipsum melius discutiamus præmittenda sunt verba elegantia per Antonium Monachum prolata, Florent. decis. 36. n. 2. dicentem: Tametsi enim procliuiores esse debeamus ad absoluendum magis, quam ad condempandum, iuxta l. Arrianus, ff. de act. & oblig. & præsertim in simili caducitatis materia, quæ dicitur pæna, a qua omnis causa etiam temeraria, vel bestialis excusat. Ant. Sola. in antiquit. sub decret. tit. de iu. emphith. decret. licet iure p. 3. glos. 1. sub n. 74. col. 2. vers. Ad caducitatẽ, fol. 39. Corbul. de cau. priu. ob non sol. can. limit. 17. n. 2. Vnde monendi sunt Clerici & Religiosi, quod nõ debeant esse proni ad caducitates, vel pænas conuentionales petendas, Socin. Iun. cons. 145. n. 29. col. 1. Et Senatus, qui possunt iudicare secundum æquitatem, valde solent dispensare in casibus contingentibus, eo quod caducitates sunt introductæ a mero rigore iuris, vt de Senatu Mediolanensi id testatur Iul. Clar. in §. emphiteosis q. 8. ver. Et hoc quidem, in fin. Quæ admonitio, & traditio apud Iudices Aragoniæ optimo iure plurimum valere debet. Nam vbi Foro deficimus, ad æquitatem naturalem recurrimus, secundum proæmium Fororum domini Regis Iacobi. Quam obrem in pluribus caducitatibus per Senatum dictæ Regiæ Audientiæ, & Curiæ domini Iustitiæ Aragonum solitum est dispensari.

Hoc

Hoc præmisso ad caducitates, allegatas in specie in dicta Propositione dictorũ Capituli & Archidiaconi in 17. artic. suæ propositionis dictæ in dicto secundo processu oblatæ accedamus. Quæ continent deuolutionem ad directos dominos ob legatum agrum Iacobo Garces, & totũ Hæreditamentum de Mareca, dictis Rectori & Patribus lampadem habentibus.

Huic caducitati opposita est formiter exceptio rei iudicatæ in Replica, pro parte dictorum Rectoris, & Patrum, in hoc processu Francisci de Blancas oblata. Quæ exceptio dictos dominos directos omnino excludit. Nã ex tenore primi processus Apprehensionis Ludouicæ de Santa Fe, & ex sententia in eo per dictã Regiam Audientiã, anno 1608. prolata cõstat, & apparet dictos dominos directos præfatum Hæreditamentum de Mareca in commissum accepisse ab easdem causas, quæ nunc in dicto artic. 17. suæ propositionis, in hoc secundo processu contentæ allegãtur, & deducuntur, in eodem iudicio Tenutæ, & litispẽdentiæ, & eodem modo agendi. Et dicta dictorum dominorum propositio, per sententiam definitiuam ab eadem Regia Audientia fuit repulsa; & admissa Propositio dictorum Rectoris & Patrum, vt dominorum vtilium respectu centum, & trium caficiorum vnius modij, duorum quartalium, & duorum almutorum terræ in dicto Hæreditamento de Mareca existentium, cum onere soluendi Canonem quatuorcentorum solidorum per singulos annos dictis dominis directis. Cum ergo inter easdem partes, in eodem iudicio Tenutæ & litispendentiæ, & eodem modo agendi ob prædictum commissum dicta definitiua sententia fuerit prolata: per hanc exceptionem peremptoriam dicti domini directi excluduntur omnino, vt in his terminis nostris super iudicio possessorio tradit Baldus. in l. Incerti numero. 12. C. de interdictis, Menoch. de retinend. possessio. remed. 3. numero. 85. & 87. doctissimus dominus Regens Sesse decis. 157. numer. 3. Molin. in Repertorio, verbo Apprehensio fol. 30. col. 3. & Plebanus.

Quæ Doctorum traditio probatur in l. cum quæritur, cum sequentibus, & in l. & an eadem, in l. si matrem, §. finali, l. duobus de exceptione rei iudicatæ. Quoniam post absolutum iudicium nefas est litem alteram consurgere ex primæ litis materia, vt dicit tex. in l. terminato 4. C. de fruct. & lit. expen. l. singulis 6. de except. rei iudi. Et super hac exceptione non est amplius immorandum, quia est receptissima omnium conclusio. Surd. cons. 312. num. 8. Reginaldi Iun. cons. 413. num. 8. Ruin. cons. 71. lib. 5. Ripa, l. qui Romæ, §. duo fratres num. 24. de verb. oblig. Fran. de Ponte cons. 90. num. 10. lib. 1. Qui quam plures decisiones, & Doctores alios allegant.

Et quamuis prædicta exceptio rei iudicatæ inter easdem partes, & eodem modo agendi super eisdem bonis, ad exclusionem dictæ propositionis pro parte dictorum Capituli & Archidiaconi præfatæ Metropolitanæ Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, in hoc secundo processu Francisci de Blancas, vt dictum est, oblatæ sufficeret: Nihilominus dicta sen-

tentia Regiæ Audientiæ, in dicto priori processu lata, optimis fulcitur iuris rationibus, quas breuiter proponemus. Et super præcipuo fundamento commissi ob alienationem factam dicto Collegio, tamquam potenti & priuilegiato, & lampadem accensam habenti, dicta Regia Audiē tia non fuit mota vigore pacti in contractu dictæ emphiteosis adiecti, ibi: *No podays, &c. alienar, ni en testamento dexar a lampara*, &c. quia ex deductis, & probatis in eo processu constitit, consuetudinem vigere relinquendi bona emphiteotica Ecclesijs, Monasterijs, & Ecclesiasticis priuilegiatis personis, dictasq; Ecclesias, Monasteria, & Ecclesiasticas personas frequentissime, & passim in prædictis bonis emphitheoticis, non habita prædictæ prohibitionis consideratione, succedere. Quæ consuetudo sufficiens est, saltim ad excusandam dictam D. Marquesiam de Moncayo, & ad euitādā caducitatis pænā: nec enim dolo culpæ eidē attribui debet, si fecit id, quod publice & palā ab omnibus fieri, & licere arbitrabatur. Hoc fuit motiuum Regiæ Audientiæ ad euitandā prætensam caducitatē.

Quod domini Auditores Rotæ licet sapientissimi in quadam decisione, in causa Archidiaconi Sædis Cæsaraugust. impugnant asserentes, huiusmodi consuetudinem solum operari effectum contra iuris prohibitionem; non vero contra prohibitionem hominis, & pacti iunctam cum prohibitione legis, ex Imol. l. Filius familias, §. Filij. col. 1. Alex. num. 2. de legatis 1. Salic. l. ea lege num. 3. Decio cons. *349*. post num. 3. Nata cons. *481*, num. 17. Cels. Hug. cons. 46. num. 16. quos dicta decisio allegat existimans, secundum ius in Ecclesiam testamento legari non posse bona emphitheotica, secundum Ant. de Butrio cons. 23. num. 3. Aldobrā. cons. 40. Iul. Clar. §. emphitheosis q. 33. Gabriel cons. 28. vol. *1*. quos etiam dicta decisio adducit. Sed vt prædictis dominis Auditoribus Rotæ sapientissimis respondeamus, præmittendum est, in hoc Regno Aragoniæ cessare prætensam iuris prohibitionem, & quæstionem, quam permulti disputant, & maxime don Garcia Mastrilis decis. 128. in 2. p. & Bulsat. egregie cons. 199. num. 12. vol. 2. & Corbul. de cau. prin. ob mort. ciuil. caus. 7. per totam, & Doctores communiter in l. si ita quis, §. ea lege de verb. oblig. & infiniti allegati in dicta decisione Mastrilis: An scilicet emphitheota Ecclesiæ posit in aliam Ecclesiam, in suo testamento bona emphitheotica legare. Quoniam iuxta *Foros* & Obseruantias Regni Aragonum similis Ecclesiæ emphitheota potest, & valet prædicta bona emphitheotica, maxime pro anima sua in testamento in Ecclesiam legare: non obstante constitutione Imperatoris Iustiniani in §. emphitheosim in auctent. de alienat. ad emphite. quam omnes allegant Doctores, tenentes non valere legatum huiusmodi in Ecclesias, & asserentes duas rationes, primam. Quia Ecclesia est potentior. Sed huic rationi respondet Menoch. cons. *216*. num. *38*. cum sequentibus, post Roman. cons. *518*. nu. 5. & alios, quos allegat Mastrilis dicta decis. *128*. num. 14. Quod tunc demum Ecclesia connumeratur inter potentiores, quando habet potestatem contra eum, cuius res in eam alienantur, secus si non est illi Ecclesiæ suppositus, sicut Archidiaconus, & dictum Capitulum Sædis Cæsaraugustan. qui non sunt subiecti Rectori, & Patribus Collegij Societatis Iesu. Cui rationi, bene

acce-

accedit consuetudo, & praxis Regni Aragonum, tradita per Molin. verb. possessio. fol. 258. col. 1. videlicet per commissum bonorum emphitheoticorum resolui possessionem in fauorem cuiuscumq, domini directi, non solum contra ipsum emphitheotam, sed etiam contra tertios possessores, & in processu tenutæ obtinere dominos directos contra eos ob dictum commissum. Quod secus erat iure communi: nam facto commisso adhuc remanebat possessio naturalis penes emphitheotas, vel tertios possessores, vsque adeo, vt necessaria esset sententia declaratoria causæ commissi, & dominus directus nō poterat sua propria auctoritate in possessionem ingredi, & emphitheotam expellere, Corbul. de cau. priuat. ob non sol. can. in fin. q. 13. Vnde si dominus vtilis esset potentior, difficile ab eo dicta possessio auocaretur. Quæ ratio in Aragonia cessat: quia eodem modo per viam commissi contra priuatos, & Ecclesias, & potentissimos quosque in processu apprehensionis faciliter expeditur.

Secunda fortissima ratio, quam prædicti Doctores adducunt, est: Quod Ecclesia, cui bona emphitheotica sunt legata, numquam moriatur, & difficile alienentur dicta bona, & ideo fere impossibile sit, quod reuertantur ad dominum directum. Et quia difficilime alienantur dicta bona, dominus directus perderet laudemium, & ius prælationis, quod in Aragonia vocamus Faticam. Sed hæc ratio similiter nec in Aragoniæ Regno procedit: quia secundum naturam contractus emphitheotici, non datur commissum, nisi ob non solutionem Canonis infra biennium. Quin immo emphitheota, sine licentia domini directi potest rem emphiteoticam alienare cum onere tributi, & non datur laudemium, quod nos vocamus luysmum, nec fatica, nisi speciali pacto caueatur. Et propter quamcumq, alienationem in quoscumq; priuatos, & Ecclesias, secundum naturam contractus non datur commissum, nec emparamentum, & sic est de vsu in Regno Aragonum. Et hæc consuetudo, & vsus expresse probantur in Foro vnico. de iure emphitheotico. fol. 122. col. 2. & apertius hunc Forum declarans est particularis lex Regni Aragoniæ, in obseruantia. Item in Aragonia tenentes sub tributo. de generalibus priuilegijs totius Regni. fol. 25. col. 4. vt tradit Mol. verb. Tributum, fol. 322. col. 3. vers. Tributationis contractus.

Cessantibus ergo rationibus, per dictos Doctores adductis, ob quas non est permissum secundum ius, legari bona Ecclesiæ dominæ directæ in aliam Ecclesiam, cessat iuris constitutio, & prohibitio. Vnde aperto ore fatendum est, in Aragonia secundum naturam contractus, sine pacto in contrarium adiecto, emphitheotam laicum & sæcularem Ecclesiæ posse in suo testamento dicto Collegio pro anima sua relinquere bona emphitheotica Ecclesiæ. Ex quo adhuc infertur consuetudinem allegatam in dicto motiuo a Senatu Regiæ Audientiæ nihil operari contra prohibitionem iuris; quia secundum prædictas leges municipales non est aliqua prohibitio, & frustratoria esset dicta consuetudo. Ideo necessario inferendum est, eam consuetudinem effectum, & vires habere aduersus pactum in contractu tributationis adiectum. Et sic ratio, quam domini de Rota adferunt de duplici prohibitione, altera iuris, & altera pacti, in

hoc Regno ruit. Nec obijciatur dictum Forum, & Obseruantiam Regni non ligare, nec comprehendere Ecclesiam dominam directam, & bona eius emphitheotica. Primo, quia dictus Forus & obseruantia generaliter, non nominando Ecclesias, nec eius personas statuunt, & sua verba dirigunt in dominum vtilem, & in fauorem laicorum dominorum vtilium habentium bona ab Ecclesia in emphiteosim, & non quoad laicos tantũ. Quo casu secundum communem opinionem personæ & bona, respectu vtilis dominij, sunt laicis subiecta; ideoq; eorum legibus & statutis ligantur, vt tradit Iul. Clar. §. emphitheosis q. 48. Secundo, vt supra dictum est, ex constitutione Iustiniani, §. 1 in Auctent. de alien. & emphit. probatur, in Ecclesiam non posse legari, & donari rem emphitheosis Ecclesiasticæ; sicut de feudo idem statuitur in cap. 1. de feud. alien. qui textus ad hoc sunt allegati per Doctores. Ergo simili modo Fori Aragonum, & obseruantiæ possunt illas constitutiones corrigere. Tertio in Aragonia, personæ Ecclesiasticæ, & earum bona in rebus profanis & temporalibus Foris ligantur: quia in eis condendis Brachium Ecclesiæ interuenit, vt est Forus vnicus de Prælatis, & Religiosis. Et secundum iuris dispositionem, in rebus ab Ecclesia concessis in emphitheosim circa dominum vtile, leges sæculares possunt statuere, Valasc. q. 17. num. 13. de iu. emphit. Menoch. de Arbitrarijs cas. 160. nu. 8. Dec. cap. Quæ Ecclesiarum. num. 9. de constitut. Tiraq. de Retract. legal. §. 1. glos. 3. n. 4. vt infra dicemus.

Vsque adeo de prohibitione iuris verba fecimus. Modo ad prohibitionem hominis, & pactum in contractu emphitheotico appositum deueniamus. Et præmittenda sunt verba ipsius contractus confecti anno 1452. per Bernardum Villalua Archidiaconum Cæsaraugustan. & Santium Fatas dictæ Sedis Caritaterium ex vna, & D. Petrum Cornel nobilem hominem, & potentem huius Regni ex altera initi & celebrati. Qui domini directi dixerunt in initio: *Damos a treudo a* Don *Pedro Cornel, habitante en la Villa de la Almunia, y a los vuestros, y a quien vos quisieredes la Villa de Mareca, &c.* Per quæ verba, inquiunt Doctores, in quoscumq; hæredes & legatarios, etiam extraneos, licet non sint filij, nec descendentes dicti D. Petri Cornel, bona emphitheotica peruenire possunt, propter illud verbum: *Quibus volueris, vel dederis*, videtur data potestas alienandi pro libito voluntatis, & operatur, vt emphitheosis Ecclesiæ possit transire ad extraneos hæredes & legatarios, Corbul. in d. caus. 7. priu. ob mort. ciuil. n. 31. post Decium, Socinum, Bossium, Curtium Iunior. cons. 4. nu. 3. & alios per eum allegatos, & idem Corbul. de cau. priu. ob alienat. limit. 2. n. 2. Iul. Clar. §. emphitheosis q. 28. n. 8.

Tum etiam inserenda sunt verba dicti contractus prohibentia alienationem, ibi: *Y con condicion, que no podays la dita Villa; y cosas que a vos tributamos diuidir en partes, ni dar, ni vender & alienar, ni en testamento dexar a lampara, Moro,* Iudio, *ni Leproso, ni a persona otra potent, ni priuilegiada, sino a fillos vuestros, o a personas, en qui el dito treudo, è cosas sobreditas sian siguras; con el treudo empero, cargas y condiciones contenidas en el present contracto y no de otra manera.* Pro nunc notanda sunt illa verba dicti pacti: *Sino a fillos vuestros, o a personas en qui el dito treudo, e cosas sobreditas sian seguras.*

ras. Dictio enim, *sino*, posita post prohibitionem, & negationem inducit permissionem in casu sequenti, Alexan. Dec. Aretin. in l. Actione, C. de transaction. late Mantic. de coniect. vlt. volunt. lib. 3. cap. 17. num. *11*. *Ergo* pro libito voluntatis dominus vtilis poterit in quascumq; personas, in quibus tributum & res supradictæ erunt securæ, disponere & legare in suo testamento vel codicillo, prout sunt Rector & Patres Collegij Societatis Iesu, quæ personæ sicut religiosissimæ soluent tributum secure, & in Hæreditamento Marecæ bene versabuntur, & apud eos erit securissimum dictum Hæreditamentum, & facile conueniri possunt virtute commissi, prout est fieri solitum in Aragonia, per viam sequestri & apprehensionis, vt dicimus. Ac per consequens non dicuntur dicti Rector, & Patres personæ potentiores, vt diximus supra, & probat Menoch. dicto consi. 216. n. 40. & 41. & plures decisiones & Doctores, quos allegat, ad probandum Ecclesiam particularem vtilem dominam, non habentem iurisdictionem, nec potestatem in Ecclesiam dominam directam, non dici potentem, nec potentiorem. Et ex dictis patet etiam responsio verbis dicti pacti, ibi: *Ni a persona otra potent ni priuilegiada*. Secunda etiam ratio est, quia Rector & Patres supradicti sunt idonei facilitate conueniendi per commissum, & apprehensionem bonorum. *Et* dicti domini directi sunt æque potentes, siue etiam potẽtiores dictis Rectore, & Patribus: nã ratione paris potentiæ, non dicentur personæ potentes & potentiores: Immo vero dicti domini directi sunt potentiores, & sede vacante habent iurisdictionem, & sunt plurimi dignitates habentes, & alij Canonici sunt valde potentes, & apud omnes plurimum possunt. Quo casu existimauit Iason in l. finali n. 99. C. de iure emphith. vbi dominus directus esset æque potens, sicut est ille, in quem emphitheota alienat, alienationem validam esse. Et hoc per bonam rationem confirmat Corbul. de cau. priu. ob alienat. ampliat. 12. n. 9. licet Nata. consi. 491. num. 9. consulat, ne æque potenti emphitheota alienet, vt euitet lites. Sed in præsenti casu magis potentes sunt dicti domini directi.

Sed restat adhuc perpendere illa verba dictæ conditionis, & pacti: *Ni en testament dexar a lampara, &c.* Per quæ dicti Archidiaconus & Capitulum dictæ Sedis Cæsaraug. prætendunt D. Marquesiam de Moncayo, & D. Franciscam Cornel eius filiam, dictis Rectori & Patribus in suo testamento in scriptis & clauso, & in præsenti processu exhibito, dictum Hæreditamentum minime potuisse legare. Sed profecto ea verba non prohibent expresse, & directe dictum legatum, quod ex tenore dicti testamenti & Plicæ non fuit collatum in lampadem, sed in dictos Rectores & Patres ad fundandum, & construendum Collegium Societatis Iesu, in hac Ciuitate Cæsaraugustæ, vt in eo animarum conuersioni & sanctificationi operam darent Religiosi dictæ Societatis Iesu, iuxta sanctum & laudabile eorum Institutum, & ipsæ dicti Collegij Patronæ & Fundatrices essent. Qua propter dictum legatum lampadi alicui relictum minime videtur. Sed dicti Archidiaconus & Capitulum antiquum morem & consuetudinem allegant, quod ea verba, de Ecclesijs, & Monasterijs intelliguntur. Quod an probent, facti quæstio est, & ideo iudicio &

arbi-

arbitrio iudicantium relicta.

Sed casu quo eam consuetudinem intelligentiæ probauerint, præmittendum est dictos Rectorem & Patres bonorum mobilium, & immobilium emphitheoticorum capaces esse, vt constat ex Bullis & Priuilegijs a Pio Quinto, & Gregorio Decimotertio, & alijs Summis Pontificibus in fauorem dictæ Societatis concessis, & in præsenti Processu exhibitis, & etiam ex Bulla & Priuilegijs a Leone Decimo, in fauorem Archiconfraternitatis Caritatis de Vrbe concessis, in præsenti processu etiam exhibitis, in quibus inter alia sunt verba sequentia: Et quęcumq; bona etiam feudalia & emphiteotica, etiam Ecclesiastica eidem Archiconfraternitati, tam inter viuos, quam mortis causa, seu testamento, vel codicillo dari, concedi, & relinqui libere posse, &c. Quam obrem tollitur quælibet dispositio iuris, & Doctorum traditio, quibus prætenditur, dominos vtiles in suo testamento minime posse bona emphitheotica Ecclesiæ dominæ directæ, per donationem, seu testamentum alteri Ecclesiæ relinquere: quia de potestate & voluntate Leonis Decimi Summi Pontificis non est dubitandum. Quæ permissio etiam est conformis, & conuenit cum dictis Foro & Obseruantia huius Regni Aragoniæ supra allegatis. Sed dicent per dicta verba Summi Pontificis Leonis pacto in contrarium adiecto in contractu emphitheotico non derogari. Ad quod dicimus: non videri pactum conuentum in contrarium per verba dicti contractus emphitheosis supra relata.

Tandem in Aragonia est inuiolabilis consuetudo antiquissima, non obstante prædicto pacto, vt non relinquatur res emphitheotica Ecclesiæ, aut priuati, lampadi, nec personæ potenti & priuilegiatæ; quod possit & valeat relinqui Ecclesijs & Monasterijs, vt ex meritis dicti processus Ludouicæ de Santafe, & præsentis processus Francisci de Blancas manifesto constat. Quæ consuetudo non impugnatur ab Antonio de Butrio in dicto cons. 23. Cuius consilium & sequacium est fundamentum partis aduersæ. Immo si bene inspiciatur, consuetudinem derogantem pacto non improbat, & in similibus dispositionibus rerum emphitheoticarum magis attenditur consuetudo, quam ius & pacta, per ea, quæ tradit Iul. Clar. in §. emphitheosis q. 28. vers. & si dicas, & Albarotus de cognitione Feudi, vbi asserit: dum consuetudo non sit contra ius diuinum, nec naturale, esse attendendam in bonis feudalibus & emphitheoticis, & allegat multa iura in similibus casibus. Et passim Doctores approbant dictam consuetudinem. Et fortior videtur consuetudo communis, tam laicorum, quam Clericorum, vt ob cessationem Canonis dominus directus non possit rem emphitheoticam in commissum accipere; sed teneatur canonem via ordinaria consequi ab emphiteota. Quam consuetudinem probat, & defendit Abbas cons. 72. n. 2. in 1. p. asserens eam consuetudinem non esse multum damnosam Ecclesijs: satis enim esse, posse consequi pensionem statutam; & æquitatem habere, quam Ecclesia debet præ alijs obseruare, vt in cap. suam de pænis.

Qua consuetudine in specie dicto pacto derogante legitime pro hac parte in vtroq; processu ostensa, & probata, euacuatur, extinguitur, &

confun-

confunditur prætensa consuetudo contraria pro parte dictorum dominorum directorum allegata, nec non dicta testium super ea deponentium, & non reddendo legitimam causam asserentium, illa verba: *Ni en testamento dexar a lampara, &c.* intelligi de Ecclesijs & Monasterijs. Quo modo enim sciunt hoc dicti testes; si ab antiquissimo tempore in similibus contractibus sunt posita in Aragonia, hæc verba. Et vsq; nunc, numquam in Aragonia fuit visum, auditum, nec platicatum, vt domini vtiles legando, & donando bona emphitheotica Ecclesis, & Monasterijs, in caducitatem inciderint, per ea verba prohibitiua: *Ni dexar a lampara*: nec iudices aliquando dictam caducitatem admiserint. Quomodo igitur illa verba: *Ni dexar a lampara.* ex vsu & consuetudine intelliguntur de Ecclesia, aut Monasterio? Tum etiam de iure in hac specie, quæ persona sit prohibita, non est expressum, nec est aliquis Doctor antiquus, nec recentior, qui dicat, lampadi relinqui esse idem, quod relinqui Ecclesiæ. Quomodo ergo testes dicunt, sub nomine lampadis intelligi Ecclesiam, seu Monasterium? Et quomodo lampas dicitur Ecclesia, vel Monasterium? Tum etiam negari non potest verbum lampara ambiguum esse, & ideo contra proferentes dictos dominos directos in emphitheosim dantes interprætandum est, l. veteribus de pactis, quia de iure non reperitur scriptum, intelligi de Ecclesia, vel Monasterio. Et vbi adesset expressum pactum, ne D. Petrus Cornel, nec sui successores Ecclesijs, aut Monasterijs dictum Hæreditamentum legare possent; huic pacto per dictam consuetudinem derogatum est ab antiquissimo tempore, & de præsenti. Quod vt melius intelligatur, repetendum est, in hoc Regno Aragoniæ nullam esse prohibitionem, quod emphitheotæ Ecclesiæ ne valeant iu suo testamento bona emphitheotica Monasterijs & Ecclesijs relinquere; sicut de iure prohibitum esse, multi Doctores adducti a Mastrili in dicta decis. 128. & Aldobran. cons. 40. & alij Doctores per nos allegati existimarunt. Tum etiam per dictum Leonis Decimi priuilegium, si quæ de iure esset prohibitio, sublata est. Ergo consuetudo non est necessaria ad tollendam iuris prohibitionem, quæ non reperitur; & per consequens necessario colligitur consuetudinem ad derogationem pacti venire, & cessare rationes dicentium, consuetudinem solum tollere iuris prohibitionem, & remanere vim pacti prohibentis, & vno sublato alterum non tolli per l. si domus. de seruitutibus vrbanorum prædiorum, & ibi Bartol.

Vltimo prædicta confirmantur auctoritate Pauli de Montepicho cōs. 77. nu. 9. loquentis de consuetudine, vt emphitheota posit rem emphitheoticam alteri ad emphitheosim concedere, irrequisito domino directo. Et tamen consuluit huiusmodi consuetudinem pacto in contrarium facto derogare ita, quod emphitheota sine periculo caducitatis in eius præiuditium potuit virtute dictæ consuetudinis alteri ad emphitheosim dare rem emphitheoticam, & quod per inductionem in possessionem factam irrequisito domino virtute consuetudinis, non dicitur primus emphitheota decidisse a iuribus suis, sine qua consuetudine, cecidisset a iure suo: ea tamen consuetudo domino directo non præiudicat, ad recuperandum suum Canonem, & ad declarandam caducitatem contra pri-

mum emphitheotam,non soluentem Canonem,quamuis aduersus secundum emphitheotam nullam habeat actionem.Roboratur necnon prædicta consuetudo auctoritate Gozadini cons. 75.nu.15. in casu, quo ex tenore inuestituræ,emphitheota non poterat præiudicare suis filijs,& descendentibus:De iure,inquit secus est in nostro casu,quia præsupponitur, quod in loco viget cõsuetudo,quod isti primi receptores emphitheosis, possint de huiusmodi bonis disponere, & alienare ea etiã in præiudiciũ filiorum & nepotum, in inuestitura nominatorum. Quo casu attenditur talis consuetudo in emphitheosi.Ita Bart.in d.cons.60.incipiente: Quæstio ista habet dubia,& dicit Bald.in d.auctent.si qua ruina, C. de sacrosanctis Ecclesijs;quod consuetudini standum est. Pet.Philip.Cornu in d. cons. num. 4. Doctores in Aucten. si gen. C.de sacrosanctis Ecclesijs,& in l.etiam,ff.de soluto marrimonio, & in l. sponsas. ad Trebel. & in cap. In præsentia.de probationibus.Prædicta sunt verba Gozadini, asserentis consuetudinem tenori inuestituræ,& pacto derogare.Et plures alios Doctores,& decissiones ad hoc adducere possemus.Ex quibus omnibus constat dictum Motiuum Regiæ Audientiæ,in dicta consuetudine fundatum iuridicum esse, maxime ad excusandas D. Marquesiam de Moncayo, & D.Franciscam Cornel eius filiam, & euitandam caducitatis pœnam, vt inquit motiuum.Quod vltimum robur accipit ex ijs,quæ supra in initio diximus, ex Antonio Monacho dicta decis.36. n.2. asserente æquitatem Canonicam, non iuris rigorem in similibus attendendum ad caducitatem excusandam.

Secunda caducitas. Alia prætensa caducitas, quam in dicto artic.17. suæ propositionis, in hoc processu Francisci de Blancas,dicti Archidiaconus & Capitulum allegant,eo quod dictæ D. Marquesia de Moncayo,& D.Francisca Cornel, dominæ vtiles dicti Hæreditamenti de Mareca reliquerunt in dicto suo testamento,seu Plica agrum quemdam Iacobo Garces, illum a dicto hæreditamento diuidendo. Et alia etiam eo quod in solutione dicti Canonis defecerunt prædictæ dominæ vtiles,quam in art.31. dictæ propositionis allegant,in hoc processu admittendæ non sunt:quia easdem etiam in priori processu Ludouicæ de Sanctafe, dicti Archidiaconus & Caritaterius deduxerunt & allegarunt; & quia contra eas Senatus Regiæ Audientiæ iudicauit, bona motiua reddendo, & his antiquis caducitatibus dicta exceptio rei iudicatæ obstat,vt diximus. *Tertia caducitas.*

Nunc ad nouas caducitates a dictis Capitulo & Archidiacono dictæ Sedis Cæsaraugust.propositas in dicta sua noua propositione,in dicto processu Francisci de Blancas accedamus. Quarum prima est contenta Articulo 19.dictæ propositionis.Eo quod domini vtiles dicti Hæreditamenti de Mareca multa prædia,& agros intra terminos, & fines dicti Hæreditamenti existentia diuersis personis alienauerint, atq; vendiderint. Huic caducitati multifariam respondemus.Et in primis de instrumentis prætensarum alienationum & venditionum in hoc processu non constare, & secundum particularem legem Regni Aragoniæ, titulus & venditio, & alienatio rerum sedentium non probantur per testes. Ex Obseruantia, Item nota.de probationibus, fol.10.col.10. Moli.fol.103.col.3. cum

Quarta caducitas. de alienatione diuersorum prædiorũ.

cum ex parte dictorum Rectoris & Patrum, in hoc processu protestatio facta appareat, ne partes aduersæ admittantur ad probandum per testes, quæ de foro non possunt, iuxta aliam Obseruantiam sequentem. Item licet. dicto fol. 10. col. 1. & late Valasc. q. 7. de iure emphithe.

Secundo respondetur, ambiguam & dubiam esse probationem dictarum alienationum: quia pro parte dictorum Rectoris & Patrum in sua Replica, in hoc processu oblata est exceptum, quod sane per testes, & alias legitime est probatum, etiam in priori processu Ludouicæ de Sanctafe, non omnia prædia & agros pertinere ad dictum Hæreditamentum, nec tempore confectionis dicti contractus emphitheotici omnia prædia intra dictum Hæreditamentum existentia ad dictos dominos directos tributantes spectauisse: Immo vero quam plurimos agros, tunc temporis vsq; nunc, & de præsenti, & ante confectionem dicti contractus ad plures alios iure pleni dominij pertinuisse, & ad dominium directum prædictorum Archidiaconi & Caritaterij numquam pertinuisse quidquam aliud, præter latifundium & foueam vulgo vocatam. *La boya de san Saluador*. Quamuis sine præiudicio veritatis dictus Senatus Regiæ Audientiæ, in priori processu Ludouicæ de Sanctafe, tam in sententia definitiua, quam in Motiuis pronuntiauerit, & mandauerit, fieri contenta in propositione dictorum Archidiaconi & Caritaterij, respectu tantum dominij directi, pro quantitate centum & trium cafficiorum vnius modij, duorum quartalium, & duorum almutorum terræ, prædiorum dicti Sancti Saluatoris: & in eisdemmet prædijs dicti Sancti Saluatoris respectu vtilis dominij, & in reliquis prædijs contentis & confrontatis in fine appellitus dictæ prioris apprehensionis, sub numero 4. quæ accedunt ad quantitatem centum nonaginta cafficiorum terræ, recepta fuerit propositio dictorum Rectoris & Patrum iure pleni dominij, tamquam in prædijs allodialibus, & non emphitheoticis. Ex quo duo colliguntur, aliud ambiguam esse, & non concludentem probationem circa prætensam caducitatem ratione dictarum alienationum, & venditionum: Aliud dictos Rectorem & Patres habere rem iudicatam super prætensa caducitate, cuius exceptio dictos Archidiaconum & Capitulum excludit, vt supra dictum est. Cum ergo intra dictum Hæreditamentum sint dicta prædia allodialia, & emphitheotica, probatio prætensæ caducitatis est nullius effectus: quia probatio debebat necessario concludere, & non per possibile: ex cap. In præsentia, & ibi omnes. de probat. & l. non hoc, C. vnde cognati.

Tertio respondetur, prædictas alienationes, quæ instrumentis probantur, etiam esse ambiguæ probationis, & factas tempore dictæ D. Marquesiæ de Moncavo, & antecessorum eius. Ex qua causa, vt infra dicemus, cessat commissum contra nouos vtiles dominos dictos Rectorem & Patres. Tum etiam plusquam quadraginta anni præteriere a tempore concessionis dictarum alienationum, vsq; ad diem noui commissi. In quo casu etiam contra ignorantes fuit præscripta actio commissandi: quia istud ius commissandi, si dominus directus vult declarare suam voluntatem, iuxta l. finalem, C. de iure emphith. Est ius, quod in iudicium potest deduci, ac proinde dicta actio commissandi etiam contra ignorantes triginta

annis

annis præscripta est, per l. sicut, & l. cum notissimi, C. de præscript. triginta annorum, & contra Ecclesiam per quadraginta annos. cap. ad aurem, de præscriptionibus.

Quarto prædicta instrumenta dictarum alienationum exhibenda erãt cum propositione intra quinquaginta dies a die citationis foralis, alias quoad inclusionem, & commissum sunt nullius momenti. Ex Foro 25. Por quanto, fol. 9. col. 3. ibi: *Que ayan a exhibir todas las escriouras, de las quales se querran ayudar a fazer se de las cosas contenidas en su proposicion.* tit. de apprehensionibus.

Quinto & vltimo ex receptione Canonis, quem receperunt dicti domini directi prædicta caducitas, seu caducitates remissæ sunt, vt infra dicemus.

Quinta caducitas. de alienatione Iurisdictionis.

Iam vero ad caducitatem aliã accedamus allegatã de nouo in art. 21. dictæ propositionis Capituli, & Archidiaconi in dicto processu Francisci de Blancas oblatæ, asserendo post confectionem dicti contractus emphyteotici, qui initus fuit anno 1452. die 27. Nouembris, Dominos vtiles nescientibus, & ignorantibus dictis Dominis directis iurisdictionem ciuilem, & criminalem Villæ, & terminorum Marecæ in Comites de Aranda Dominos temporales Villæ de Epila alienauisse: ita & taliter vt dicta iurisdictio a dictis Comitibus de Aranda exercita dicatur per triginta annos, & plus vsque nunc, & de præsenti, scientibus, & patientibus dictis D. Marquesia de Moncayo, & D. Francisca Cornel, & alijs earum antecessoribus, qui fuerunt domini vtiles dicti Hæreditamenti. In hunc modum allegatur prætensa caducitas. Sed profecto nulla deuolutio dicti Hæreditamenti & terminorum Marecæ considerari potest ad dominos directos ex hac allegatione, nec commissum fieri potest per dictos dominos directos. In primis: quia in hoc processu nulla fides facta fuit alicuius venditionis, nec alterius tituli, nec alienationis circa dictam iurisdictionem cum instrumento factæ per dictos dominos vtiles. Nec formiter, & prout erat necessarium est allegata prætensa caducitas, siue dicta præscriptio dictæ iurisdictionis: quia non allegatur, quod patientibus, & tolerãtibus dictis Rectore & Patribus fuit acquisita, & causata dicta præscriptio, cum ab anno 1601. vsque ad præsentem diem, sine violatione apprehensionum fuerint, & sint domini & possessores dicti Hæreditamenti, & terminorum, & sic per viginti & sex annorum, vsque ad tempus in quo oblata fuit dicta propositio dictorum Capituli & Archidiaconi. Et est impossibile quod ab eis allegatur, sciẽtibus, & tolerantibus dictis D. Marquesia & D. Francisca, & cæteris domnis & possessoribus vtilibus, qui pro tempore fuernnt dicti Hæreditamenti, per triginta annos, & plus, vsque ad dictum tempus oblationis dictæ Propositionis dictos Comites Arandæ iurisdictionem dictam exercuisse, actus eiusdem faciẽdo, cum solum restent quatuor anni conferendi, & trahendi, & intelligendi ad tempus in quo dictæ D. Marquesia, & D. Francisca, & earum antecessores fuerũt domini & possessores vtiles dicti Hæreditamenti. Qua propter secundũ propriam suam allegationem prætensa præscriptio, siue tacita alienatio dictæ iurisdictionis informiter, & sine tempore & possessione ad eam præscri-

præscribendam allegatur. Et ideo quia in libello dictæ propositionis non est bene allegata dicta præscriptio, quamuis probetur per hanc partem cum omnibus requisitis super deductis in Replica: non possunt tamen obtinere dicti domini directi, per textum in l. Biblius Marcellus de pact. dotal. quem Baldus semper habebat in ore, vt inquit Angel. in l. Claudius. qui pot. in pigno. habe. & Iudex non debet supplere, si plus est probatum, quam allegatum. Hæc tradit Curtius Sen. conf. 82. nu. 8.

Certi etenim iuris est quando præscriptio jurisdictionis allegatur contra Serenissimum dominum Regem dominum jurisdictionis, possessionem immemorialem esse allegandam, quando vero adducitur contra priuatos dominos, tunc necessariam esse ad præscriptionẽ possessionem per triginta annos. Et si est contra Ecclesiam dominam jurisdictionis, requiri quadraginta annos possessionis ad præscribendum, vt infra latius dicemus.

Sed casu quo optime & formiter esset allegata dicta præscriptio, videndum est: An dicti domini directi intelligant dominium vtile tantum dictæ jurisdictionis esse præscriptum, vel directum dominium & vtile, quod dicti domini vtiles, & directi habuisse dicuntur. Si etenim dominium vtile tantum præscriptum esset a Comitibus de Aranda, quod esset si dicti Comites vt domini vtiles dictæ jurisdictionis eam possedissent, recognoscendo dictum Archidiaconum, & Caritaterium, seu Capitulum in dominos directos, & soluendo eis Canonem, pro portione dictæ iurisdictionis, nullum præiudicium dictis dominis directis fuisset causatum. Et sic dicta caducitas, & commissum ob prædictam præscriptionem cessaret. Vt in terminis terminantibus tradit Romanus conf. 166. nu. 10. allegans ad hoc cap. Ad audientiam. de præscript. cap. Volumus. iuncta glos. 16. q. 4. cap. si quis per triginta, tit. si de feudo fuerit controuersia. Et Romanum sequuntur Felin. post Abbat. in d. cap. Ad audientiam, num. 18. Curtius Iun. conf. 177. nu. 8. dicens Panormitanum, & omnes Canonistas hoc concludere in d. cap. Ad audientiam, & nu. 10. dicit magis communem, consuetudinesq; feudales ligare Ecclesiam, & personas Ecclesiasticas. Et eundem Romanum sequuntur alij allegati per Mandosiũ ad additionem dicti conf. 166. nu. 10. Et aduertendum est Romanum in dicto consilio non dicere, dominos directos posse commissare ob dictam præscriptionem dominij vtilis; sed ob Canonem non solutũ; quia dicta præscriptio nullum adfert præiudicium dominis directis, cũ præscribens dominium vtile recognoscat eos in dominos directos. Sed dicent dicti domini directi, se non intelligere tantum de alienatione, siue præscriptione dominij vtilis dictæ iurisdictionis, sed etiam de directo dominio simul cum vtili, quod dominium directum domini vtiles non habebant, nec illud poterant alienare, nec videri pati, illud præscribi a dictis Comitibus.

Vt radicitus, & omnino huic præscriptioni dominij directi simul cum vtili respondeamus ad euitandam prætensam caducitatem, & cõmissum: Præsupponendum est nos versari in iurisdictione ciuili, & criminali, quã pars aduersa prætendit ad emphyteosim tributã fuisse D. Petro Cornel

primo emphyteotæ, & sic in præscriptione iuris incorporalis, ad cuius præscriptionem duo sunt necessaria in præsentiarum. Primum scientia, & patientia eorum, qui illam tradere, & alienare poterant. Secundum, quia agitur de præscriptione contra Ecclesiam, videlicet contra dictos Archidiaconum, & Capitulum nomine Sedis Cæsaraugustan. necessariũ est tempus quadraginta annorum. Primum tradunt Balbus de præscript. 2.p. 5.princ.q.3.sub num.8.post Alex.cons.24.col.3.vol.5.& in ijs etiam terminis Socino cons.187.num.21. vers. Quinto & vltimo, vol.2. Quod in præscribenda iurisdictione requiratur, quod quis probet, se exercuisse eam sciente, & patiente illo, ad quem spectat, nisi probet de tanto tempore, cuius initij nõ sit memoria hominum in contrariũ. Iacob. de S.Geor. in tract.feud.in glo.in verb.Mero &mixto Imperio, col.3.&est regula vulgaris: in præscribendis iuribus incorporalibus, prout est iurisdictio, scientiam, & patientiam esse probandam illius, aduersus quem præscribuntur. l.Quoties, §.fin.de seruit. l.si a te emero, si seruitus vendi. l.2. vbi omnes concedunt, C.de seruit. Quam regulam multi DD. limitant in præscriptione immemoriali, & asserunt in ea per tantum tempus scientiam, & patientiam præsumi. Sed quando tractatur de præscribendo iure incorporali, cuius vsui, & exercitio ius commune resistit, tunc necessariã esse scientiã, & patientiã in immemoriali, & per tantũ tẽpus præsumi, vt tradunt Salicet.Dec.Crabet.quos allegat Couar.in reg.possessor.2.p.in init. in fin. Si ergo requiritur, scientia, & patiẽtia illius ad quẽ pertinet iurisdictio, vt prædicti DD.tradunt: ipsi Archidiaconus, & Capitulũ sese excludunt asserentes in dicto art 21.suæ propositionis, ipsis nescientibus, & ignorantibus præscriptã, siue possessam fuisse a dictis Comitibus dictam jurisdictionẽ. Quod fieri non potuit, si de dominio directo dictæ iurisdictionis agamus: & sic quoad dictũ dominiũ directũ cessare videtur præscriptio nescientibus, & ignorantibus Dñis directis: & si scientibus, & tolerãtibus Dñis vtilibus esset præscripta, tantũ erit quoad vtile dominiũ, quæ præscriptio vtilis dominij nullũ præiudiciũ dictis Dñis directis infert, vt ex d.cons.166.Romani diximus, qui in rebus emphyteotici Ecclesiæ dominæ directæ loquitur in d. n.10. Sed profecto si vera dicẽda sunt arbitror ridiculosum attenta vicinitate locorum, & diuturnintate tanti temporis, & publica fama, & cursu triginta annorum ex aduerso allegato, dictos Dños directos ignorauisse dictã possessionẽ dictorum Comitũ respectu dictæ iurisdictionis, vt in simili similia verba scripta reliquit Curt.Sen.cons.82.nu.3.col. 2. vers. Quod arbitror ridiculosum. Quod si eis scientibus & patientibus dicta iurisdictio est præscripta, ipsi visi sunt pati, vt præscriberetur, & sic de se ipsis conquerantur, & desinant commissum prætendere ob præscriptionem sua culpa causatam.

Quod vero sciuerint præter dictam publicã famam, & diuturnitatem tanti tẽporis ab eis allegati, probatur etiã ex eo quod prima apprehensio dicti Hæreditamenti cõmissa fuit anno 1601. Iuratis Villæ de Epila, qui in posse Iustitiæ dictæ Villæ habẽtis iurisdictionẽ in dicto Hæreditamẽto iurarunt vt Cõmissarij forales, de bene se habendo in sua cõmisione forali iuxta forum, vt patet ex tenore dicti prioris processus Ludo. de Sanctafe,

ctafe, in quo ipsi dicti Archidiaconus, & Caritaterius se oposuerũt, & propositionem obtulerunt, in qua articularunt, & allegarunt dictam apprehensionem fuisse commissam debite, legaliter, & iuxta Forum.

Quoad secundum præsupponendum est apud Doctores receptũ esse, merum mixtum Imperium, iurisdictionem ciuilem, & criminalem in præiudicium Principis, cui de iure competit, & de Foro, non minori tẽpore adquiri, quam eo, cuius initium memoriam hominum excedat, vel quadraginta annis titulo præmisso, vt latissime probat Couar. regul. possessor. 2. p. §. 3. sub nu. 4. vbi plura iura & Doctores allegat, iuxta textum in cap. 1. de præscript. in 6. cap. super quibusdam, §. Præterea. de verb. significat. Bald. cons. 439. lib. 3. & in l. 1. C. de mancip. liber.

Sed quando non agitur de præscribenda iurisdictione contra Principem, sed contra priuatos, vt in præsentiarum, prætendit pars aduersa, Archidiaconum & Caritaterium tempore concessionis ad tributum, anno scilicet 1452. dominos directos dictæ iurisdictionis fuisse (quod alienum a veritate inferius probabimus) tunc sufficit tempus ordinarium, & non requiritur tempus immemoriale. Hæc assertio apud omnes fere certa est in l. Imperium de iurisd. omni. iudi. eamq; sequuntur Bald. vbi sup. Alex. cons. 16. n. 27. lib. 5. Balbo de præscrip. d. p. 5. princ. 2. p. vers. Circa primam quæstionem, quos allegat Couar. dicta 2. p. §. 3. num. 5. Et ideo contra Ecclesiam, & dictos Archidiaconum & Caritaterium, seu Capitulum dominos directos necessarium erit ad præscribendum dominium directum dictæ iurisdictionis tempus quadraginta annorum, quando tertius, & non ipsemet emphitheota præscribere intendit, in casu quo bona fide iurisdictio peruenit ad ipsum, sine expresso consensu domini directi. In qua quæstione quo tempore tertius præscribat dominium directum, licet videretur, non esse locum præscriptioni, per textum in cap. 1. §. præterea, de capit. Conradi in ossibus feudorum, nisi esset tempus centum annorum, vt per quamdam Constitutionem Neapolitanam, Afflict. decis. 254. & Iul. Clar. in §. Feudum. q. 45. n. 2. in fine tradunt. Et si horum opinio esset sequenda, triginta anni allegati ad præscriptionem dictæ iurisdictionis contra dominum directum non sufficerent.

Tamen verius est secundum glos. in d. §. Præterea, quod non sufficiat tempus longum decem, vel viginti annorum, sed sufficere tempus triginta, vel quadraginta annorum, vt tertius dominium directum præscribat per l. omnes, l. sicut. de præscrip. triginta annorum contra priuatos dominos, sed contra Ecclesiam inferiorem necessarij sunt dicti quadraginta anni. Hoc tradit in Feudo Paris. d. cap. ad Audientiam. sub n. 20. & concludunt Bald. Albarot. Præpos. Curt. Sen. in allegato cons. 82. & Balb. in d. tract. præscri. in 4. p. princ. vers. Quarto quæro. adducentes alias rationes, & concludentes per triginta annos præscriptione in isto casu quæri directum dominium, & contra Ecclesiam inferiorem requiri tempus quadraginta annorum, per capit. de quarta. capit. Illud. capit. Ad aures de præscript. & omnes tradunt in Auctentic. Quas actiones, C. de Sacrosanctis Ecclesijs. Et idem Parisius in dicto capite ad Audientiam sub numero 18. & sub dicto numero 20. in ijs terminis. Et licet in Feudo dicti

Docto-

Doctores loquantur idem est in emphyteosi: quia vbi non reperitur cõtrarium decissum, argumentum de feudo ad emphyteosim sumitur, & procedit secundum Specul. de feudis, §. Quoniam, vers. 40. communiter receptum, ex Socin. cons. 167. num. 22. vol. 2. vt tradit Iul. Clar. §. feudũ, q. 3. vers. Dixit etiam. Et Corbul. de cau. priu. ob non solut. can. ampliat. 27. nu. 23. Ias. l. 1. num. 60. C. de iur. emphyt. At vero cum contrarium in hac materia præscriptionis dominij directi in emphyteosi non reperiatur decissum de iure, optime & recte de Feudo ad emphitheosim arguimus. Quo argumento Roman. in d. cons. 176. & multi alij Doctores vtuntur.

Vltimo, in hac materia præscriptionis certi iuris est, præscriptionem triginta, vel quadraginta annorum currere contra absentes & ignorantes: quia huiusmodi præscriptio per dictum tempus est inducta mere in odium negligentiæ, ne dominia tanto tempore starent in incerto, ideo merito statuerunt iura per tale tempus omnem sopiri quæstionem, & controuersiam per dictum cap. Ad aures, & d. l. omnes. in fin. & l. final. C. de fundis patrimo. cap. volumus 16. q. 4. Quæ iura ad hoc allegat dictus Curt. Sen. d. consil. 82. col. 3. & hanc opinionem tenent Gama. decis. 149. n. 5. Couar. Reg. possessor. 2. p. §. 2. n. 5.

Ex quibus iuribus, & communibus traditionibus Doctorum manifesto liquet, si quod dominium directum dictæ iurisdictionis habuerunt dicti Archidiaconus, & Caritaterius dicto tempore concessionis ad tributum, & si illud fuisset continuatum in alios successores Archidiaconi, & Caritaterij, necessarium fuisse tempus quadraginta annorum, ad illud præscribendum per Comites de Aranda; & non sufficere triginta annos, in præscribendo prætenso dominio directo dictæ iurisdictionis, & currere dictam præscriptionem contra dictos Archidiaconum, & Caritaterium, seu Capitulum ignorantes, & nescientes dictam præscriptionem. Secundo colligitur aperte, si verum est quod ipsi allegant in dicto 21. artic. eis ignorantibus, & nescientibus Comites de Aranda possedisse dictam iurisdictionem per triginta annos & plus, minime dominium directum dictæ iurisdictionis præscriptum esse ab eis: quia scientia & patientia eorundem, aduersus quos præscribitur erat, necessaria, vt supra diximus. Quamobrem secundum propriam suam allegationem, per præscriptionem, quæ tacita alienatio dicitur, vt dicemus, non est præscriptum dominium directum dictæ iurisdictionis. Et sic perperam, & sine causa, & nulliter prætendunt dictam caducitatem ob alienationem dictæ iurisdictionis: nam præter dictam possessionem Comitum de Aranda, non constat in hoc processu de aliqua venditione, vel donatione, vel alia alienatione, facta per dominos vtiles dictæ iurisdictionis.

Tandem ex prædictis etiam constat, si dominium vtile, quod emphitheotæ habuisse dicuntur, est etiam præscriptum dictæ iurisdictionis, remanente dominio directo eiusdem penes dictos dominos directos, nullum præiudicium fuit illatum dictis dominis directis, nec causa fuit, nec est hæc bona accipiendi in commissum, secundum consil. Roman. 167. n. 10 & aliorum, qui eum sequuntur, vt supra dictum est. Quibus addendus

est

est Couarru.reg.possessor.2.p.nu.6.dicens domino directo non præiudicari, quod ipse bene declarat, & dixit communem Socin.cons.266, col. 19. Quæ omnia dicta sunt casu, quo verum esset dictos Archidiaconum, & Caritaterium tempore dictæ Tributationis dominos fuisse dictæ iurisdictionis, vt dicta pars aduersa prætendit. Sed profecto, vt statim dicemus, numquam fuerunt directi domini dictæ iurisdictionis.

Sed concedamus sine præiudicio veritatis prædictos dominos directos simul cum iurisdictione, quam habebant tempore dicti contractus, & fuit continuata in dictum D.Petrum Cornel, & eius successores, dictã Villam de Mareca cum dicta iurisdictione ad tributum dedisse: nihilominus non est expressum pactum, quod si alienaretur per præscriptionẽ cum patientia dominorum vtilium dicta iurisdictio, caducitati, & commisso locus esset. Quia notandum est duplicem esse alienationem: quædã enim est expressa; altera tacita. Venditio, donatio rei, & perpetua emphyteosis, expressa dicitur; vsucapio vero, tacita, vt notat Rebuf.in l.Alienationis.28.vers.Septimo etiam.de verb.significat.Et ideo tacita est: quia ex parte eorum aduersus quos præscribitur, non est consensus expressus, nec per tacitum inducitur naturalis consensus, vt alienatio ex præscriptione causetur; alioquin quilibet possessor cum mala fide præscriberet, si dominus rei naturaliter consentiret, vt eleganter tradit Paris.in cap.fin. de præscript.nu.14.vers.Nec etiam obstat, dicens, quod sciens rem suam præscribi, videatur tacite consentire, & tacite alienare per d. l. Alienationis verbum: nam dicta lex procedit præsumtiue, & ficte, & improprie, vt patet ex illo verbo: Videtur. Et per hunc tacitum non inducitur naturalis consensus. Hæc dicit Paris. in dicto cap.final.de præscript. d.nu.14. Quo stante in Aragonia non habemus tacitum consensum, nec tacitam alienationem, quæ ex subtilitate ingenij, & non oculis corporeis legitur in instrumento emphyteosis, l.1.cum glos. ff. de ijs qui in testamẽto delentur. Et generaliter secundum obseruantiam vulgarem. Item Iudex. de fide instrumentorum. Cartæ in Aragonia est standum, atque ideo non habemus tacitum consensum, neque tacitam stipulationem, nec alienationem, nec hypothecam, vt tradit Pleban.§.Forus, nu.45.fol.741.

Qua propter verba pacti, ibi: *Con condicion, que no podays la dicha Villa, y cosas que a vos tributamos, vender, & alienar.* non possunt comprehendere dictam alienationem tacitam, præsumptiuam, argumentatiuam, & impropriam per præscriptionem: quia stamus cartæ, & non habemus tacitam in Aragonia, & de iure verba in contractibus, maxime ad inducẽdam pœnam, proprie, & stricte intelliguntur. l.Quidquid adstringen. de verb.oblig. Et a verbis non recedimus.l 1.§.Si ijs qui nauem. de exercit. act. tradit in contractu emphyteosis Corbul.de cau. priu.ob mort. ciuil. num.6. Quibus addendus est Bart.in l.Is qui pro emptore.nu. 33. de vsucapion. asserens statuta simpliciter loquentia esse intelligenda de ijs, quę sunt vera secundum veritatem; non de ijs, quæ sunt vera secundum fictionem: quia statuta non recipiunt interpretationem extensiuam, sed certe interpretari ad fictum, & improprium, esset extendere: & quod est verum secundum fictionẽ non contineri verbis legis, nisi exprimatur, l.3.§.

Hæc verba, cum glos. de negotijs gestis. At vero videtur secundum legẽ alienare, qui patitur vsucapi. Et sic ficte, & improprie dicitur alienatio per præscriptionem inducta, & non est vera alienatio. Ergo verbum cartæ: *Alienar* non extenditur ad alienationem fictam, & impropriam, quæ ex præscriptione inducitur.

Et confirmatur; etsi in contractu, vel in testamento prohibeantur bona, supposita efficaci fideicommisso, alienari, talis prohibitio non comprehendit alienationem per præscriptionem cum bona fide sine titulo, quando dicta præscriptio est quadraginta annorum, vt post Bart. & Alex. & alios tradit communiter receptum Ripa l. Filius familias, §. diui, nu. 114. delegatis *1*. & est apud omnes receptum.

Secundo prædicta robur accipiunt auctoritate eorum, qui dixerunt, vbi secundum ius bona emphyteotica Ecclesiæ donari, vel legari non possunt, non procedere, quando aliquis dominus vtilis ingrederetur Monasterium bonorum emphyteoticorum capax: quia tunc virtute legis, & ex dispositione iuris communis bona prædicta pertinerent ad Monasterium; quia est alienatio tacita legalis fauore Monasterij, vt in Auctenti. ingressi. C. de sacrosanctis Ecclesijs, nu. 37. in 2. lect. tradit Bart. communiter receptus post alios, & Beroius in cap. In præsentia, nu. 416. de probat. & in consil. *33*. loquens in emphyteosi Ecclesiæ, n. *56*. & cons. *94*. n. 8. & *9*. vol. *1*. dicens esse communiter receptum, Corbul. in dicta cau. priu. num. 4. & 8. Quoniam vt diximus lex facit talem alienationem, & non ingrediens: Vnde licet esset pactum in inuestitura, quod in Ecclesiam, & potentiorem res emphyteotica non possit alienari, operatur quoad certam Ecclesiam nominatam, non vero quando dominus vtilis Monasterium ingrederetur, vt volunt Dinus, Paris. Angel. Iason. nu. *15*. in l. si ita quis. §. ea lege. de verb. oblig. & tradit Corbul. magis communem vbi supra proxime, num. *11*. in fin. fol. *21*. Ad eundem modum in dicto contractu emphyteotico, ibi: *No podays vender, & alienar*, non intelligitur de alienatione, quæ fit per legem, per præscriptionem: Lex enim præscriptionem induxit rerum immobilium, ne dominia essent sub incerto. Vnde ex parte emphyteotæ sola est patientia, sed alienationem proprie non facit ipse, patiendo rem præscribi, sed lex.

Adhuc egimus in casu, quo dicti Archidiaconus, & Caritaterius fuissent domini directi dictæ iurisdictionis, & dominium vtile eiusdem dicto D. Petro Cornel suo emphyteotæ transtulissent, vel ipse post dictum contractum eam possedisset, & aliqui ex suis successoribus. Sed profecto ex merito præsentis processus de dicto dominio, & possessione nullatenus constat: Immo tempore dicti contractus, & ante, & post per tempus immemoriale, de cuius principio non est memoria hominum in contrariũ dicti Comites de Aranda fuerunt, & sunt vsque de præsenti domini, & possessores dictæ iurisdictionis: minime vero dicti domini directi, nec successores Petri Cornel, prout in articulis Replicæ pro parte dicti Rectoris & Patrum est deductum, & articulatum, & concludenter probatum. Quod vt clarius ostendatur, præsupponendũ est iurisdictiones omnes in Aragonia pertinere ad Serenissimum dominum Regem, in quibus

in

in toto Regno habet intentionem fundatam maxime in criminali, vt tradit noster Mol.in verb.Iurisdictio,fol.198. qui col.2. idem tradit procedere in locis dominorum, siue sint Sæcularium,siue Ordinis,*Ecclesiæ*,& Religionis,cum temperamento, quod licet dominus Rex in ijs locis dominorum fundatam habeat intentionem,respectu iurisdictionis,est in habitu;non tamen in exercitio: quia in locis,quæ non sunt propria domini Regis, non habet dominus Rex aliquod exercitium iurisdictionis: domini tamen locorum de foro nullam habent iurisdictionem nisi ex consuetudine iuxta Obseru. Item notandum.de priuil.milit.vt loco sup.allegato tradit Mol.per Foros,& Obseruantias, quas allegat, & est certissima conclusio in hoc Regno.

Tum etiam præsupponendum est nihil commune habere iurisdictionem cum proprietate agrorum,& bonorum in aliquo territorio existentium: potest enim aliquis esse dominus loci, & suorum terminorum, & nullam habere iurisdictionem, de qua agimus, & eam ad dominum Regem,vel ad alium,seu alios pertinere,vt tradit Couar.pract.quæst.cap.1. num. ·Et dixit Aluarot. post Bald. Quod si dominus directus dederit alicui in feudum aliquod Castrum sine iurisdictione, & feudatarius iurisdictionem de nouo adquisierit; aperto feudo, non trasibit iurisdictio in dominum directum: quia est diuisibilis,& separabilis. Mænia enim castri possunt esse vnius, & iurisdictio alterius. Hoc dixit titulo.de inuestitura de re aliena facta.Cap.1.§.E contrario. nu. 4. prout sunt multa loca dominorum particularium, tum Sæcularium, tum Ecclesiasticorum in Aragonia,quæ non habent aliquam iurisdictionem; sed per officiales domini nostri Regis in eis exercetur iurisdictio. Qualia sunt intra limites Ciuitatis Turiasonensis Cunchillos,& Nouallas,quæ habent sua territoria distincta, & eorum dominus est D.Martinus de Bardaxi Comes de Castelflorit, & item Grisel,& Samangos, quæ etiam habent propria territoria,& eorum domini vtiles,& directi sunt Decanus,Canonici,& Capitulum Ecclesiæ Sedis dictæ Ciuitatis Turiasonensis,& adhuc locus,vulgo dictus Sancta Cruz, cuius dominus est Dux Villæformosæ; sed nullum habet territorium: & tamen omnium istorum locorum iurisdictio est domini nostri Regis,& exercetur per officiales Regios dictæ Ciuitatis Turiasonensis in dictis locis. Et alia plurima possent adduci quæ breuitatis causa prætermittuntur.

Quibus præmissis possibile fuit dictos dominos directos tépore dicti contractus nullam in Villa prætensa de Mareca, nec eius terminis iurisdictionem habuisse, nec D.Petrum Cornel, nec suos successores dominos vtiles. Quamobrem per probationem concludentem dicti domini directi Commissantes tenentur ostendere dominium directum, & possessionem dictæ iurisdictionis, atque etiam illud, & illam in dominos vtiles transtulisse,& quod ipsi domini vtiles habuerint. Et tamen ex meritis,& probationibus, & documentis per dictam partem aduersam commissantem adductis aliqua possessio, nec minus dominium in dicta iurisdictione minime constat,nec probatur legitime respectu ipsorum,& dominorum vtilium successorum D.Petri Cornel. Nam qualiter testes deponere debeant

beant

beant super iurisdictione tradit Nata conf.636.nu. 105.& conf.672. n.4. Mascard.conf.947. Et per quos actus præscribatur Bald. Cap. bonæ, nu. 27.de postulat. Prælat.& in l.data opera, nu.28. C. Qui accusare. Cassan. §.1 num.112.de consuet.Burgundiæ,Pleban.§.priuilegium, n.69. Omnes ij Doctores tradunt iurisdictionem minime probari per testes asserẽtes, se vidisse aliquem iurisdictionem possidentem,nisi in specie dicant actus specificos dictæ iurisdictionis. Quia iurisdictio est ius incorporale, quod non percipitur visu, nisi testes reddant rationem per actus exercitij specificos. Quamobrem pro parte Capituli, & Archidiaconi, in articulis 2. & 4.suæ propositionis non probatur possessio tributantium tempore cõtractus respectu iurisdictionis. Et solum iurisdictio ponitur, & articulatur in dictis artic.2.& 4. respectu dominorum directorum tributantium: Sed in artic.6. articulatur iurisdictio respectu D. Petri Cornel, & testes videntur deponere de aliquibus actibus. At in alijs articulis dictæ Propositionis respectu dominorum vtilium a dicto D. Petro Cornel, vsque ad D.Marquesiam de Moncayo,nec ponitur, nec articulatur dicta iurisdictio, quod eam habuerint dicti domini vtiles. Quomodo ergo dici potest,per triginta annos, vsque de præsenti dominos vtiles alienauisse iurisdictionem in Comites de Aranda,si aliquando eam habuisse, nec probatur, nec allegatur. Et si dicta pars aduersa intelligit, quod D. Petrus Cornel primus emphyteota, eam alienauit, quem dicunt habuisse. Ipse D.Petrus Cornel obijt ante annum 1467. cum eo anno esset iam dominus vtilis dicti Hæreditamenti de Mareca Thomas Cornel filius dicti D.Petri Cornel,vt constat ex quodam instrumento publico cõpromissi, & sententiæ arbitralis dicto anno 1467.confecto, & pro parte dictorum Capituli & Archidiaconi in hoc secundo processu etiam exhibito. Ab obitu ergo dicti D. Petri Petri Cornel, vsque ad annum 1617. in quo dicta propositio dictorum Capituli, & Archidiaconi oblata fuit in hoc dicto processu, præteriere centum sexaginta anni parum plus, vel minus. Quia propter, si aliqua actio (quod negatur) dominis directis competiuit ad accipiendum hæc bona in commissum ob alienationem iurisdictionis, est præscripta per dictum tempus; quanto magis, quod per quadraginta annos præscripta fuisset per dominos vtiles qui fuerunt,&sunt per d.l.Sicut,l.Omnes,cum alijs,C.de Præscript.triginta annorum,quæ currit contra dominos etiam ignorantes,&Doctores supra allegati tradunt. Cap.Ad aures,l.final.C.de fundis patrimon. Cap. volumus,16. q.4. Quæ iura ad hoc allegat Curt.Sen.conf.82.col.3.

Et profecto omnia vero consonant: quia Comites de Aranda per tempus immemoriale, vsque de præsenti dictam omnimodam iurisdictionẽ possederunt, & præscripserunt,etiam si fuisset domini Regis Aragoniæ, vel ipsorum dominorum directorum tempore tributationis, secundum Curt.Iun.conf.174.num.26.& Socin.conf. 187. lib. 2. & Couar. & alios supra allegatos: quia præscriptio immemorialis habetur loco tituli per d.cap 1.de præscript.in 6. l.1.§.Aquæductus.de aqua quotidian. ibi illa, & noster Mol.fol.200.col.1.in fin. Et hoc fuit in causa, quod a D.Petro Cornel, vsque de præsenti nec allegatur, nec probatur dicta iurisdictio in

dicta

dicta propositione pro parte dictorum Capituli, & Archidiaconi commissantium ob lata: Quia cum iam esset adquisita per Comites de Aranda non potuerunt a D. Petro Cornel, usque de præsenti omnes domini vtiles eam habere. Et sic infertur ex ijs dictam actionem commissandi esse præscriptam, vt diximus, atque etiam contra successores, & hæredes dicti D.Petri Cornel,& minus contra D. Marquesiam de Moncayo, & D.Franciscam Cornel,& multo minus contra dictos Rectorem, & Patres potuisse, huiusmodi fieri commissum ob prætēsam alienationem: quia in vita dictorum dominorum vtilium prædefunctorum, dicti dominij directi non declararunt suum animum, & voluntatem commissandi: quia vt diximus probatum fuit, prætensam alienationem, si quæ fuit per D.Petrum Cornel primum emphyteotam fuisse factam, contra quem, & alios dominos vtiles præmortuos hanc pœnalem actionem non instituerunt, in vita dictorum dominorum vtilium prædefunctorum: nā pœnalis actio contra hæredes non transit, lite non contestata, vt in terminis de commisso emphyteosis inquit Cassador. de locato. decis. 2. & 3. Cuman. cons. 169. Curt. de feudis, 4. p. princ. col. penult. Ruin. cons. 159. num. 12. lib. 1. Et ita per has decisiones, & alias iudicauit Senatus Portugalliæ, vt refert Ant. Gama decis. 17. Surd. decis. 118. Magon. decis Florent. 70. Corbul. de cau. priu. ob non sol. can. limit. 21. nu. 14. Monter decis. 5. D. Regens Sesse.

Nec iuuat si dicatur exaduerso, dictos dominos directos ignorauisse dictam tacitam alienationem iurisdictionis, siue præscriptionem illius: quia vt diximus quadragenalis præscriptio omnem prorsus actionē excludit, prout sunt verba dicti cap. Ad aures, de præscript. quæ currit contra ignorantes, & nescientes, & absentes, per l. final. C. de præscript. longi temporis. Et per cap. Vigilanti studio cauendum est, in fin. de præscript. vbi in rebus immobilibus corporalibus exceptis incorporalibus notat num. 3. Abb. & omnes sequuntur, vt tradit Paris. ibi. nu. Quamuis in quæstione: An detur restitutio in integrum ex iusta causa, non omnes conueniunt. Sed quod currat contra ignorantes, & absentes, omnes fere conueniunt, & tradunt etiam Doctores supra allegati.

Superest respondere ad allegata in contrarium circa dictam iurisdictionem, & in primis ad contenta in artic. 2. dictæ propositionis Decani, Capituli, & Archidiaconi dictæ Ecclesiæ Sedis Cæsaraugust. vbi allegant Reges Aragoniæ dicto Capitulo Sedis Villam, & Hæreditamentum de Mareca cum suis terminis, & cum iurisdictione donauisse. Sed quia de dicta donatione in exhibitione dictæ propositionis intra quinquaginta dies a Foro præscriptos nullam fecerunt fidem: ideo inutilis est, & supervacanea talis allegatio. Et quamuis in publicatione de dicta donatione fides esset facta, nihil probat ad inclusionem partis aduersæ in dicta iurisdictione.

Nec dictæ parti aduersæ quicquam prodest quædam copia prætensæ donationis, prout dicitur, factæ a Serenissimo Rege Alfonso, anno 1187. in qua asseritur: Concedo, dono, & auctorizo domino, & Ecclesiæ Sancti Saluatoris, & toti eius Conuentui in perpetuum, quidquid iuris, & do-

dominij habeo,& habere debeo per me,& antecessores meos in Villa de Mareca,& eius terminis omnibus,ac pertinentijs,hæremis,& populatis, pascuis,& aquis,&c. Primo,quia de prætensa iurisdictione nullum verbum in dicta copia prætensæ donationis adest. Et potuit dictus Dñs Rex Alfonsus ante dictã donationẽ,tribuere, & concedere dictã iurisdictionẽ Villæ de Epila,& illius dñis tẽporalibus prædecessoribus Comitũ de Arãda,qui ab immemoriali tẽpore eã nunc habẽt. Quo casu non esset translata iurisdictio per dictum dominum Regem Alfonsum dicto Capitulo Sedis Cæsaraugust. iuxta receptam sententiam traditã a Couar. in pract. quæst.cap.1.conclus.9.& 10. Et hoc videtur præsumendum potius: quia Comites de Aranda domini temporales Villæ de Epila per tempus immemoriale dictam iurisdictionem retinent, quod tempus habet oculos retro,& extendi potest ad tempus ante dictam donationem, secundum tradita a Garcia de Nobilit.glos.12.num.60. cum seq. & nu. 79. vbi tradit,immemorialem continere tempus in infinitum, per reg. Quodsi ab infinito finitum demas, remanet infinitum, post Molin. lib. 2. cap. 6. num.47. de Hispan.primogen.qui in præsenti negotio optime adducuntur.

Secundo,quia dicta copia dictæ prætensæ donationis reperitur extracta ab Alfonso Frances Notario,ex libro quodam vocato el Quartuario in Dormitorio Sedis prædictæ existente. Quamobrem dicta copia nullã fidem facit,per l.exemplo perniciosum est,C.de probat.vbi statuitur domesticis scripturis priuatis nullam fidem habendam. Et secundum Bald. ibi num.1.& 2. & Felin. post alios in d. cap. Ad audientiam.de præscript. num.11.conclus.1.tria requiruntur, vt dictus liber dictæ Sedis probaret. Primum. Quod in Archiuo,cui præesset officialis publicus,custodiretur. Secundum. Quod scripturæ,quæ inde producerentur, fuissent positæ inter auctenticas. Tertium. Quod ex consuetudine fidem facerent.Ita Felin.post Bald.Imol.Io.Andr.& alios. Et ideo non fuit exhibita dicta copia dictæ prætensæ donationis pro parte dictorum Capituli & Archidiaconi in hoc processu,sed pro parte Didaci Antonij Antin Valitoris dictæ Sedis,in quibusdam literis narratiuis a Curia domini Iustitiæ Aragonum emanatis: quia non sunt ausi scripturam priuatam ex sua domo producere.

Tum etiam a prætensa donatione, vsque ad annum 1452. quo fuit data ad emphyteosim dicta prætensa Villa per dictos Archidiaconum, & Caritaterium, transiere ducenti sexaginta quinque anni. Quo tempore dicta iurisdictio,vbi peruenisset in dictum Capitulum dictæ Sedis,potuit transferri,& alienari,tam per dominos Reges Aragoniæ,quam per dictũ Capitulum prætensum donatarium in Comites deAranda,siue in eorum antecessores,qui a tempore immemoriali vsque de præsenti sunt domini, & possessores dictæ iurisdictionis. Immemorialis autem præscriptio loco tituli habetur,vt diximus supra.Merito ergo nec est probatum,nec articulatum dictam Sedem Cæsaraugustanam prætensam iurisdictionem habuisse,nec exercuisse vnquam.

Quarto denique,quia non constat,nec est ex aduerso probatum, quod ius,

ius, & quod dominium dictus dominus Rex Alfonsus in dicta prætensa Villa de Mareca haberet tempore dictæ prætensæ donationis. Et cum sit incertum, quod ius, & quod dominium haberet, nullius momenti est dicta prætensa donatio, ratione dictæ incertitudinis, vt tradit Specul. d. §. de locato, vel emphyteosi. vers. 59. nu. 74. Et est doctrina Bart. in l. Si sic. §. fin. de legat. 1. Iason l. secunda. de iure emphyt. num. 173. & eleganter Paul. de Castro in l. Si non designata. in princ. C. de falsa causa adiecta legato, vbi probat, aliud esse Comitem donare castrum, aliud donare iura, quæ habet in castro.

Neque obest instrumentum dictæ tributationis, in quo, vt dictum est, dicti Archidiaconus, & Caritaterius dicto D. Petro Cornel dictam Villam, cum iurisdictione alta, & minima ad emphyteosim dederunt: quia licet exaduerso in 2. & 4. artic. dictæ propositionis allegetur dicta prætẽsa iurisdictio habita, & possessa per dictos Archidiaconum, & Caritaterium tempore dictæ concessionis ad emphyteosim: nihilominus nec articulantur actus specifici, & exercitia talis iurisdictionis, nec sunt testes aliqui, qui de aliquo actu in specie dictæ prætensæ iurisdictionis deponãt. Et sic secundum Baldum, Specul. Nata, & alios DD. sudra allegatos, nulla possessio probatur dictæ prætensæ iurisdictionis tempore dictæ concessionis ad tributum.

Superest ergo, & remanet solum instrumentum dictæ tributationis. Sed per illud, dominium dictæ prætensæ iurisdictionis minime probatur, etiam contra recipientem. Nam Ecclesia hic non agit actione personali contra hæredes D. Petri Cornel primi emphyteotæ, nec ex l. si quis conductionis, C. locati. Sed agit actione reali ex commisso, propter prætensam alienationem prætensæ iurisdictionis, dictum Hæreditamentũ emphyteoticum petendo. Quo casu Bart. in l. legata inutiliter, nu. 2. communiter receptus, ait, non probari dominium regulariter dictæ iurisdictionis contra recipientem, ex dicto instrumento emphyteosis, per l. ad probationem, C. locati, ff. de adimendis legatis. Quem DD. communiter sequuntur, vt tradit Alex. cons. 12. num. 4. vol. 4. vers. Sed si conueniatur possessor actione reali, & ante eum Specul. §. emphyteosis, vel de locato, vers. 52. vbi excepto Hugolino dicit alios omnes ita tenere, & Bart. ac maxime Specul. cum Iason, l. 2. nu. 178. C. de iure emphyteotico, reddunt rationem: Quod instrumentum emphyteosis inducitur, vt ius Ecclesiæ diminuatur, alienando dominium vtile, & non recipiendo ab alio: nam dominium quæri solet recipiendo concessionem, & non alijs concedendo. Quomodo ergo concessio facta ab Ecclesia, probabit dominium esse Ecclesiæ? Tum etiam posset esse quod Ecclesia concessisset alienum in emphyteosim, l. rem alienam. de contrahen. empt. Et ita tradunt DD. ex recognitione emphyteotæ non probari dominium per emphyteosis instrumentum, etiam contra hæredes illius. Quæ ratio Speculatoris huic nostro negotio apte conuenit: quia dicti Archidiaconus, & Caritaterius iurisdictionem alienam ad dictos dominos Epilæ pertinentem, & nunc ab eis possessam, in emphyteosim D. Petro Cornel concesserunt. Et quidem Specul. hoc locum habere tradit in antiquo instrumento emphyteo-

tico,

tico,in dicto §.emphyteosis.vers.57. nu.72. dicens: Quid si antiqua cartula dicit,quod Ecclesia concessit P.in emphyteosim rem, quam nunc tenet O. nunquit est sufficiens hæc probatio contra O? Certe non, vt tactum est supra, vers.52. Quæ casui nostro apte applicantur: nam in dicto instrumento emphyteotico antiquo dictā iurisdictionem D. Petro Cornel dicti Archidiaconus,& Caritaterius ad tributum cōcesserunt, quam a tempore immemoriali domini de Epila habuerunt;& nunc habent dominium directum,& vtile dictæ iurisdictionis;quamuis D.Petrus Cornel sit a dicta Ecclesia de eo inuestitus,& ita recognouerit. Et licet dicti Rector,& Patres essent legatarij dicti Petri Cornel: in Replicis tamen negarunt dominium directum,& vtile respectu dictæ iurisdictionis, secundum Bart.Specul. Alex.& Ruin.cons.161.num.16.18.& 19.vol.1. dicentē communem,& ab ea non recedendum. Et sic de nihilo seruit allegatio in Replicis partis aduersæ facta, quod dicti Rector, & Patres per varias successiones vniuersales successerint dicto D. Petro Cornel; quia licet hoc esset verum,eis non nocet recognitio facta per dictum D. Petrū Cornel,secundum prædictam communem opinionem. Tum etiam dicti Rector,& Patres non sunt successores vniuersales, sed sunt legatarij, & singulares successores in dicto Hæreditamento. Quo casu secundum eundem Specul. d. vers. 57. minime probatur dominium respectu dictæ iurisdictionis contra dictos Rectorem,& Patres singulares successores in actione reali,prout idem Ruin.cons,26.nu.1.& 2.vol.1. tradit, vbi plures allegat decisiones.

Quamobrem cauendum est a quibusdam testibus super artic. 6. dictæ propositionis affirmantibus de auditu a maioribus,& fama, dictum D.Petrum Cornel dictam iurisdictionem possedisse, & exercuisse, aliquos actus iurisdictionis in specie recensentibus:Quoniam inuerisimile hoc est, quod ipsi attestantur de D. Petro Cornel, nihil nec verbum asserentes super ijsdemmet actibus iurisdictionis, respectu Archidiaconi, & Caritaterij, qui ad tributum dederunt, nec respectu aliorum dominorum vtilium dicti D. Petri Cornel successorum, cum super alijs articulis dictæ propositionis,in quibus dicta iurisdictio articulatur, maxime 2.& 3. sint interrogati,& examinati. Denique prædicti testes ex suismet depositionibus de falso conuincuntur: quia super primo artic.propositionis dictę asseruerunt,intra dictum Hæreditamentum apprehensum in hoc processu esse nunc, & conseruari de præsenti quandam Ecclesiam cum suo Altari, & Ara, & sex, vel septem domos cum suis habitatoribus. Quod falsum esse patebit per inspectionem oculorum in dicto Hæreditamento.

Et propterea prædictis non obstant Bald.& Bart.in d. l. Ad probationem, C.locati,asserentes, quando cum instrumento emphyteosis, & recognitione emphyteotæ,in eo facta,apparent signa dominij,& possessionis,per dictum instrumentum probari dominium: quia in præsentiarum præter dictum instrumentum respectu iurisdictionis, non est aliquod signum dominij, nec possessionis. Neque etiam obstat ex Antipocha in Aragonia practicari, dominium directum probari: Quia ex decisione

Guido-

Guidonis 172. illud procedit, vbi tẽpore antipochæ probaretur emphyteotam recognoscentem fuisse dominum, & possessorem rei emphyteoticæ.

Denique vbi omnia prædicta cessarent, & non procederent, & ex hypothesi fingeremus dictos Archidiaconũ, & Caritaterium tempore contractus emphyteosis in dicta prætensa Villa iurisdictionem habuisse, & illius directos dominos fuisse; & dominos vtiles eam alienauisse expresse, vel tacite patiendo eam præscribi per dictos Comites de Aranda, aduertendum est quod ipsi dicunt: per triginta annos, & plus, vsque de præsenti dictos Comites eam possidere. Et debuisse in commissum accipere dictam iurisdictionem in dictos Comites alienatam per dominos vtiles, si voluissent, & prætextu prætensæ alienationis dictæ iurisdictionis minime potuisse Hæreditamentum Marecæ commissare: quia dictum Hæreditamentum diuersum quid est a dicta iurisdictione: nihil enim commune habet proprietas agrorum cum iurisdictione, & est diuisibilis iurisdictio a dicto Hæreditamento, vt supra diximus, & tradunt Bald. in l. A procuratore, C. mandati, & Aluarot. vbi supra. Quia igitur est diuersa, intrat regula a Senatibus recepta, vt magis communis opinio, & æquior: ob alienationem partis non cadere in commissum omnia bona emphyteotica, secundum Corbul. de cau. priu. ob alienat. ampliat. 42. nu. 6. referentem quam plures decisiones, & dicentem magis communem, & Iul. Clar. §. emphyteosis, q. *13* in fine, & Tho. Gram. in alio casu referentes Senatum Neapolitanum ita iudicauisse sicuti æquius.

Ad aliam caducitatem propositam exaduerso in artic. 22. dictæ propositionis dictorum Capituli, & Archidiaconi accedamus. Dicunt enim in dicto articulo dominos vtiles in diuersis actibus, & contractibus dictam prætensam Villam hypothecauisse. Huic caducitati respondentes asserimus primo. Non cõstare de aliqua hypotheca per actum, vel cõtractum; & in exhibitione scripturarum intra quinquaginta dies præscriptos a Foro ad exhibendum, nullum contractum, vel actum exhibitum fuisse; per quem de dicta hypotheca cõstare posset. Et in propositione, non vero in Replicis talis hypotheca ad commissum erat alleganda, & exhibenda secundum Forum 25. Por quanto, fol. *90.* ibi: *Que ayan a exhibir todas las escrituras, de las quales se querran ayudar a fazer fe de las cosas contenidas en su proposicion.* Tit. de Apprehensionibus. *6. Caducitas circa hypothecas.*

Secundo aliud est obligatio rei emphyteoticæ, aliud alienatio, & in præsenti contractu emphyteotico nullum adest pactum, nullaue conditio non hypothecandi. Quamobrẽ proculdubio propter hypothecã non potest fieri commissum. Ita Surdus decis. 254. num. 4. asserens, aliud esse prohibitionem alienationis, aliud prohibitionem hypothecãdi, & ex hoc inferri, pactum de non alienando nõ comprehẽdere hypothecam. Idem tradit Card. Seraphin. decis. 8*19*. & Iul. Clar. §. Emphyteosis, quæst. 18. & *21*.

Tertio, propter hypothecã factam per dominos vtiles cessat commissum: quia dominis directis non præiudicat: nam vbi rem accipiunt in commissum resoluuntur omnes hypothecæ, ac si nõ essent factæ, l. lex ve-

 ctigalis.

ctigalis.de pignor.Item glos.recepta in l.final.verb. vendere, C. de iure emphyteotico. Vbi Iason nu.78. Afflict.decis.191. num. 3. & quamplures alios allegat Corbul.de cau.priu.ob alien.limit.32. nu. 1. cum sequen. Et hoc in præsenti Regno Aragoniæ receptissimum est, & dicta Regia Audientia ita censuit, in sententia & motiuis in dicto priori processu Ludouicæ de Sanctafe, recipiendo propositiones multorum creditorum super hoc eodem Hæreditamento Marecæ.

Nec est curandum de allegata ad caducitatem hypotheca in artic.37. 38.39.& 40. dictæ propositionis, vbi asseritur Thomam Cornel dominiũ vtilem dicti Hæreditamenti in suis, & Elisabethis de Heredia suæ vxoris pactis dotalibus illud hypothecauisse pro quantitate quinque milliũ quingentorum solidorum. Hæc enim hypotheca nihil obest per rationes proxime dictas, & insuper, quia non constat de morte dictæ creditricis, nec venisse casum restitutionis doti, nec aliquam executionem eius ratione factam in dicto Hæreditamento. Tum etiam, quia post dicta pacta dotalia inita anno 1469. vsque ad tempus oblationis dictæ propositionis transierunt centum quinquaginta octo anni. Et sic omnis actio, tam dictæ hypothecæ, quam actio ad commissandum est præscripta, vt supra loquentes de iurisdictione diximus.

7. *Caducitas ob deteriorationem.*

Ad deuolutionem, & caducitatem prætensam in artic.23. dictæ propositionis, vbi dicunt dictam Villam a paucis annis, vsque nunc esse deterioratam, & dirutam, & sine vicinis, & eius Ecclesiam sine Rectore, & ruinam minari, in primis dicimus: ex aduerso nec in dicta sua propositione, nec in replicis propositum fuisse primæuum statum dictæ prætensæ Villæ tempore confectionis dicti instrumenti emphyteotici. Quamobrẽ de dicta deterioratione non constat, nec testes pro sui parte inducti probant concludenter prætensam deteriorationem: quia ignorarunt dictũ statum prætensæ Villæ tempore dictæ concessionis ad tributum. Et ita refert decissum pluries in Rota Romana Seraphin.decis.1356.num.2. Quia cum sonet, inquit, in delictum, & agatur ad pœnam priuationis vtilis dominij, concludenter per testes erat probanda dicta deterioratio ad commissum. Secundo circa deteriorationem rei emphyteoticæ, vt sequatur commissum requiruntur tria. Primum magna deterioratio. Secundum, quod sit in proprietate. Tertium, quod sit lata, vel leuis culpa emphyteotæ secundum Baldum receptum communiter in Authentica. Qui rẽ, C. de sacrosanctis Ecclesijs. Ioseph.Ludo.& Surd.decis.78.198.& 300. Vnde sententia declaratoria erat premittenda ad commissum: quia non pro quacumque deterioratione datur locus commissi, Corbul. de cau. priu. 13.num.18. ob deteriorat. Mastril.decis.193.num.22. in 2. Et tandem vbi de antiquo statu non constat, non est locus commisso ob deteriorationem. Ita idem Seraphin.decis.1453.nu.5. refert decissum.



Quibus

QVibus omnibus expeditis, accedamus iam ad prætensam citationē Collegialium Rectoris Patrum, & Ministri Collegij Beatæ Mariæ Conceptionis præsentis Ciuitatis Cæsaraugustæ, ad instantiam Decani, Capituli, & Canonicorum dictæ Ecclesiæ Sedis Cæsaraugustanæ, & eiusdē Ecclesiæ Archidiaconi prouisam per Alexandrum Ludouisium tunc Romanæ Rotæ Auditorem ad iudicium petitoriū super dicta prætēsa Villa de Mareca, & eius terminis, & iurisdictione, & executatam in persona Rectoris, & Patrum Collegij Societatis Iesu præsentis Ciuitatis, & ad sententiam per dictum Auditorem Alexandrum Ludouisium latam, vt dicitur in iuditio petitorio super dictis bonis, & iurisdictione ad fauorem dictorum Decani, Capituli, & Archidiaconi dictæ Sedis, absentibus, & non comparentibus dictis Rectore, & Patribus dicti Collegij, & in hoc processu Francisci de Blancas a dictis Capitulo, & Archidiacono allegatas. Prætendunt enim prædicti Actores per dictam sententiam absortam esse possessionem, & dominium vtile dicti Rectoris, & Patrum, & parere exceptionem rei iudicatæ contra dictos Rectorem, & Patres per cap. cum dilectus, & ibi Doctores de causa possessionis, & proprietatis, & scribentes in l. Naturaliter, §. nihil commune, de adquir. possess.

Sed dictæ & prætēsæ citatio, & sententia sunt nullæ, & nullius effectus, ac proinde nihil operantur. De qua nullitate abunde pro parte dicti Rectoris, & Patrū in sua Replica in præsenti processu oblata est exceptū per diuersos artic. nēpe ab art. *65*. ad art. *83*. At vt clarius dicta nullitas pateat præsupponendū est, ad instantiam Ludo. de Sanctafe, & Ludo. Pallon sæcularium fuisse per Regiam Audientiā apprehensas, & sequestratas, primo duas domus, & duo granaria sita in Villa de Epila. Itē sotum de los Arbuesses. Item Hæreditamentum de Mareca, existens in terminis Villæ de Epila, ratione cuiusdā crediti, siue cartę Comādæ, ad posse, & manus dictę Regiæ Audiētiæ: Quæ apprehēsio, & sequestratio fuit cōmissa Iuratis dictę Villæ de *E*pila vt Cōmissarijs foralibus, & seruatis seruādis, instāte parte legitima fuerūt citati omnes sua interesse putātes voce publica pręconis in dicta Villa de Epila, & in pręsenti Ciuitate, vt intra quinquaginta dies cōparerent in dicta Regia Audiētia ad dandū propositionē iuxta Forū, & ad debite procedendū in dicta causa apprehēsionis: intra quos dies dictus Archidiaconus, & Caritaterius volūtarie obtulerunt suā propositionē in vim dictæ emphiteosis supra recitatæ, vt dñi directi ratione cōmissi super dicto Hæreditamento de Mareca. Et dicti Rector, & Patres dicti Collegij Societatis Iesu suā etiā obtulerunt propositionē ratione dominij vtilis, necnon ratione pleni dominij liberi, & allodialis super dictis bonis respectiue. Et ratione crediti obtulerunt etiā multi alij suas propositiones, videlicet Vicarius, & Beneficiati Ecclesiæ S. Laurentij, & Petrus Xarreta Beneficiatus dictæ Ecclesiæ, Petrus Hiero. Pallō, Ludo. de Sanctafe, & Ludo. Pallon, Eleonor Copones, in cuius locū fuit repositus Martinus de Funes eius filius, Iacob. Garces, Elisabetha Palacios; Necnō Hierony. Fernādez Cornel de Heredia ratione cuiusdā prætēsi fideicōmissi, & D. Matth. de Mōcayo vt hæres ab intestato d. D. Marq̄siæ de Mōcayo, & D. Mart. de Pomar, ob firmā dotis, & eius augmētū eiusdē D. Marq̄siæ.

Et D.

Et D.Ioannes Fernandez Liñan de Heredia ratione viduitatis, & vsufructus foralis sibi competentis in dictis bonis quæ pertinuerunt D.Franciscæ Cornel eius vxori. Hi omnes, & alij multi suas propositiones respectiue obtulerunt iuxta Forum: Por quanto, 25. de apprehensionibus, fol. 90. sine aliqua protestatione, sed libere approbando iurisdictionem dictæ Regiæ Audientiæ, ab ea petentes restitutionem dictorum bonorum: Et facto legitimo, & forali processu fuerunt receptæ per definitiuam sententiam propositiones in primo loco, & gradatim dictorum creditorum, & dictæ viduitatis respectiue suis iuribus durantibus; & eis finitis fuit recepta dicta propositio dictorum Rectoris, & Patrum dicti Collegij respectu vtilis dominij in prædijs Sancti Saluatoris contentis in prædictis bonis in fine appellitus, sub numero quarto confrontatis, quæ accedunt ad quantitatem centum, & trium caficiorum vnius modij, duorum quartalium, & duorum almutorum terræ, cum onere soluendi dictis Archidiacono, & Capitulo dictæ Sedis, vt dominis directis dictorum prædiorũ Sancti Saluatoris singulos ducentos solidos Iaccenses, quolibet anno, in die & festo omnium Sanctorum, vel vno mense post. Et in reliquis bonis, sub numeris secundo, tertio, & quarto in fine dicti appellitus primæ apprehensionis confrontatis iure pleni dominij, præstita prius respectiue cautione forali, alijs propositionibus repulsis super dictis bonis. Et sic fuit repulsa, & exclusa propositio dictorum Archidiaconi, & Caritaterij oblata in vim dicti commissi per eos, vt dominos directos facti. Et dicta sententia sic prolata dicti Rector, & Patres, iuxta Forum, 23. Item por dar forma de apprehensionibus, fol. 89. col. 4. præstiterunt fideiussores, & cautionem idoneam dictæ Regiæ Audientiæ, casu, quo in processu dictæ apprehensionis fuisset lata sententia definitiua contra eos de restituendo dicta bona apprehensa vna cum fructibus, & redditibus ab eis, ex dictis bonis apprehensis receptis, videlicet, *a aquel qui aura victoria en la causa*, quæ sunt verba dicti Fori, prout dictus Forus præcipit. Et præstita dicta idonea cautione dictæ Regiæ Audientiæ, ex eius prouisione dicti Rector, & Patres fuerunt missi in possessionem dictorum bonorum, super quibus eorum propositio fuit recepta, & fuerunt effecti Commissarij Curiæ, & dictæ Regiæ Audientiæ, & eius nomine dicta bona possederunt, & possident, & a dicta Regia Audientia habent ea commissa, ad restituendum ea illi, qui reportauerit victoriam in causa. Qui dictus Forus 23. constituit, restitui dicta bona illi, qui obtinebit in articulo dictæ prouisionis, idest Tenutæ, in hæc verba: *De alli adelant procedase en la causa entre las partes, en la forma, que por fuero esta estatuydo, deuerse proceyr, quando la cosa es apprehensa a manos de la Cort. El qual fuero, & fueros queremos que sian seruados en el dito processo, assi en el processo de la demanda de la dita prouision, como en el processo de la causa principal.*

Secundo, præmittendum est ex dicto Foro 23. proxime recitato, Foristas notauisse dictum processum Apprehensionis ex tribus articulis constare, videlicet Tenutæ, & veræ possessionis, quem Firmarum in hoc Regno vocamus, & proprietatis, & quemlibet articulum esse partem dicti processus. Et processum proprietatis, vel Iurisfirmarum, qui intentatur

post

post processum apprehensionis esse eandem litem,& causam, & partem processus apprehensionis, quia in eodem processu offertur petitio in proprietate,& appellatur Cisternus, vt tradit Mol. in verb. Resumptio, fol. 291.col.2. ex quo infertur intellectus ad verba dicti Fori 23. ibi: *A aquel qui aura victoria en la causa*,& ibi: *Como en el processo de la causa principal.* Esse intelligenda de causa proprietatis, vel iurisfirmarum.

Tertio etiam præmittendum est, quod ex eodem Foro 23. in verbis Hispane recitatis resultat,& colligitur. Si ille qui obtinuit prouisionem litis pendentiæ coram vno Iudice sæculari, est conueniendus in proprietate ab altera parte, quæ succubuit,& cuius propositio fuit repulsa super rebus temporalibus,& profanis,exceptis causis spiritualibus, & Beneficialibus,quarum respectu Iudices sæculares sunt incapaces ad cognoscendum super proprietate & titulo: In isto casu, vbi de rebus profanis apprehensis est conueniendus super proprietate,qui in primo articulo litis pendentiæ obtinuit,per alteram partem, quæ succubuit, necessario esse conueniendum in eodem processu apprehensionis coram eodem Iudice, qui de dicto primo articulo cognouit, quod vt infra dicemus iuri communi conforme est, & hanc practicam insinuat Mol.in verb. *Firma*, fol. 154. col.4.in his verbis: Tamen a multis annis citra post processum apprehensionis finitum,partes curant hodie, intrare iudicium iurisfirmarũ possessorium iuxta dictum Forum; sed statim partes faciunt transitum ad iudicium proprietatis,& offerunt petitionem directam recte concludentem super dominio, & proprietate rei apprehensæ, in illomet processu apprehensionis iam finito, & dictus processus super proprietate intitulari solet cisternus. Quamobrem si in Curia Iustitiæ Aragonum fuissent bona profana, & temporalia apprehensa, & ibi fuisset recepta propositio Ioannis, & exclusa propositio Petri, si Petrus ad Regiam Audientiam appellauerit ab ea sententia, & ibi fuerit reuocata,& admissa propositio Petri appellantis; si partes voluerint in Regia Audientia agere super proprietate,non possunt; sed tenentur in dicta Curia in eodem processu apprehensionis super dicta proprietate agere,vt magno examine fuit decissum in Curia Iustitiæ Aragonum, in processu Petri Pardo, necnon Ioannis Pertusiæ super iurisfirma,die 23.Februarij,& die 2.Martij anno 1590. Et sunt alia exemplaria similia, quæ refert sapientissimus Regens Sesse de inhibit.cap.4.§.6.per totum. Et in processu Ioannis Pallares, & Esperancæ Diez de Aux,& Petri Pardo,& Mariæ del Busto, vbi concludit: si Iudex appellationis cognouisset de possessorio, aliquando contrarium iudicatum,alioquin pro certo habetur iudicem possessorii priuatiue esse competentem in propriete per dictum Forum 23.de apprehensionibus, in verbis supra Hispane prolatis, qui ex consuetudine ita est interpretatus,& minime sunt mutanda,quæ certam interpretationem habent.

Supradicta de Foro,& praxi procedunt. Superest ostẽdere eadem de iure procedere. Quod facile probamus ex l.Nulli,C.de iudicijs,ibi:Nulli prorsus audientia præbeatur, qui causæ continentiam diuidit. l. Ordinarij,C.de rei vendicat. ibi: De possessione iudicetur, & tunc demum proprietatis causa ab eodẽ iudice decidatur,l.certi, C. de iudicijs, cap.1.

de causa possessionis,& proprietatis. Per quæ iura passim,& communiter Doctores in dictis legibus, & alijs locis tradunt causam super proprietate ab eodem iudice esse pronuntiandam,qui de possessorio cognouit.

Ex quibus omnibus præmissis colligimus aperte,quod tam ex Foro,& praxi Regni,quam de iure communi,dicti Archidiaconus,&Capitulum, si postquam in dicto processu Ludouicæ de Sanctafe succubuerunt si vellent transire ad articulum proprietatis, super dicto Hæreditamento de Mareca apprehenso: in eodem processu apprehensionis citare,& conuenire tenebantur, & tenentur priuatiue dictos Rectorem & Patres in eadem Regia Audientia. Quia dictum Hæreditamentum est temporale, & profanum, & ita Regia Audientia est capax iurisdictionis contra dictos Rectorem,&Patres conueniendos,vt latius ad responsionem cap.finalis. de iudicijs dicemus. Qui textus in contrarium a dictis Capitulo,& Archidiacono cum magno tumultu allegatur. Sed decisio dicti textus dicti cap.finalis in processu apprehensionis non potest procedere; & numquã fuit practicata in hoc Regno per specialem rationem.

Et vt splendidior,& clarior appareat,& probetur dicta specialis ratio, breuiter quantum ad hoc attinet,casum & factum dicti cap. finalis enarremus: Abbas enim,& Monasterium Sanctæ Mariæ de Florentia,in articulo possessorio nominandi,seu eligendi Rectorem temporalem ad regimen Castri cuiusdam,tanquam Actores communitatem dicti Castri corã Potestate sæculari Florentiæ conuenerunt, & sententiam contra dictam communitatem in dicto articulo possessorio obtinuerunt. Quæ communitas post latam dictam sententiam dictos Abbatem,& Monasterium coram eadem Potestate Florentiæ,quæ de dicta possessione eligẽdi dictum Rectorem cognouerat,intentauit super proprietate conuenire. Dicti vero Abbas,& Monasterium opponebant exceptionem, quod Actor tenetur sequi Forum Rei, ex cap.cum sit generale. de Foro competenti. At dicta communitas allegabat, continentiam dictæ causæ non esse diuidendam,ex d.l.Nulli,C.de iudicijs. Qua quæstione ad Summum Pontificem Honorium Tertium delata, dictus Pontifex noluit Potestatem Florentiæ de proprietate cognoscere: immo causam super proprietate Episcopo Boloniensi,& alijs coniudicibus commisit cognoscendam.

Ex decisione huius quæstionis & casus, quoad nostrã speciem spectat communiter tradunt Doctores dictam l.Nulli, limitandam esse quando ille,qui obtinuit est alterius Fori,debet conueniri super proprietate coram Iudice suo, & non coram Iudice,qui cognouit de possessione. Quam limitationem etiam tradit Iason in d.l.Nulli,sub num.6. vers. 2. ponens exemplum,vt qui vnus sit laycus,alius Clericus,dicẽs dictum cap. finale, notabile. Sed hæc limitatio a Doctoribus communiter tradita, sublimitatur,quando ille,qui obtinuit in possessorio, potest conueniri corã eodem Iudice,qui de possessione cognouit: quia ille est melius informatus in causa. Vnde quia est melius instructus, & ratione identitatis eiusdem subiecti; quia super eodem subiecto vtraque causa versatur, ideo ille idem Iudex adiri debet super proprietate. Hanc sublimitationem tradunt Abbas in d.cap.fin.num,15.& Felin.ibi num.8.dicens: Tertia con-

clusio,

clusio. Diuidi possunt istæ causæ, vbi actor & reus sunt diuersi fori. Textus hic reputatur singularis per Legistas in d. l. Nulli, C. de Iudicijs, intellige hoc, vbi diuersitas Fori potest allegari ab eo, qui conuenitur, allegante pro se regulam, cap. cum sit generale, de foro competen. Et idem Abbas in d. cap. fin. sub num. 15. addit ad hanc sublimitationem: Quod, inquit, puto procedere, etiam si vellet actor agere coram alio ordinario eiusdem Rei: Non enim audiendus est, ne continentia causæ diuidatur. Quæ verba sunt decissiua quæstionis nostræ, prout dicemus. Quibus addendus est Garcia de nobilitate, glos. 1. §. 2. num. 16. dicens: Continentiam possessionis & proprietatis non diuidendam, si Iudex competens ad vnã, reperiatur etiam competens ad aliam. Allegat Batt. in l. commodato, §. duobus, & addendus Rebuf. cap. 1. num. 33. asserens: vbi posset reus diuersi Fori prorogare iurisdictionem, non procedit textus in d. cap. fin. de Iudicijs.

Sed speciali ratione Rector & Patres in nostro casu, qui obtinuerunt in articulo Tenutæ in Regia Audientia, super dicto Hæreditamento de Mareca temporali & profano, possunt conueniri super proprietate coram eadem Regia Audientia a dictis Archidiacono, & Capitulo. Ergo decisio textus in d. cap. fin. non potest applicari huic causæ. Minorem probamus: quia vt in principio huius quæstionis diximus, secundum dictum Forum 23. de de apprehensio. dicti Rector & Patres sunt Commissarij Regiæ Audientiæ, & nomine illius hoc Hæreditamentũ possident, & fideiussores, & cautionem idoneam præstiterunt, de restituendo hoc Hæreditamento dictis Archidiacono, & Capitulo, vel alijs partibus oppositis in dicto processu Ludouicæ de Sanctafe, qui in eodem processu, & in eadem Regia Audientia victoriam obtinebunt in proprietate. Et secundum ius, personæ Ecclesiasticæ, quæ sunt Commissariæ Iudicis sæcularis, & præstiterunt dictam cautionem possunt coram eodem Iudice sæculari conueniri. Mol. fol. 82. col. 3. & fol. 180. col. 2. fol. 191. col. 3. & fol. 204. col. 1. & dominus Regens Sesse de inhibit. cap. 1. §. 1. nu. 16. Pleban. verbo Clericus, sub num. 51. Qui sunt Foristæ magnæ praxis. Et eãdem sententiam de iure tenent Capella Tolosana decis. 168. Menoch. de recuper. posses. remed, 15. q. 58. Afflict. decis. 24. Marian. Socin. cap. 1. nu. 45. de foro competen. Bouadilla in politi. lib. 2. cap. 17. num. 130. Farin. q. 8. nu. . Vsque adeo vt dicti Rector & Patres si conueniantur a dictis collitigantibus coram eadem Regia Audientia in proprietate dicti Hæreditamenti apprehensi, Fori declinatoriam opponere non possent, vt tradit idem Mol. fol. 23. col. 4. & fol. 36. col. 3. & fol. 41. col. 1. Pleban. verb. apprehensio. 3. nu. 14. Bardaxi in foro 10. nu. 8. & 10. de apprehens. D. Regens Sesse d. cap. 9. §. 1. nu. 7. cum sequen.

Et non sine causa prædicta in hoc Regno obseruantur: nam Regia Audientia ad euitanda scandala, & pericula, & rixas ad suas manus, & posse, instante legitima parte, hoc Hæreditamentum apprehendit, & sequestrauit, & etiam instante parte vocauit omnes sua interesse putantes, vt intra quinquaginta dies suas offerrent propositiones super dicto Hæreditamento. Et comparentes ob dictam citationem, suasque propositiones offe-

offerentes potius dicuntur actores, quam rei. Afflict. decis. 2. & 24. nu. 7. Paul Castren. in l. Testamenta omnia, C. de testamentis, & in l. Libertus, ff. de in ius vocando. Faber. C. de Iudicijs, definit. 38. & alibi Doctores tradunt communiter. Quapropter personæ Ecclesiasticæ, & aliæ sæcula res non videntur trahi ad dictum iudicium apprehensionis, sed ipsa res apprehensa, & Hæreditamentum, vt dicta Regia Audientia in dictis tribus articulis de illo cognoscat inter partes oppositas, cum sit res tempo ralis & profana, & actione reali omnes partes in eo processu experiuntur. & ex dictis foris 23. & 24. hæc praxis desumitur. Quamobrem optima est consuetudo immemorialis, & non præiudicialis personis Ecclesia sticis, quæ in primo articulo Tenutæ obtinuerunt prouisionem de litependente, vt in proprietatis articulo in eodem processu conueniantur super dictis bonis profanis apprehensis.

Nam opinio Doctorum communior est in rebus temporalibus, & profanis, Clericos de iure positiuo, & non de iure diuino a iurisdictione sæculari esse exemptos, Couarr. pract. quæst. 31. nu. Garcia de nobilit. glos. 9. Sesse de inhibit. §. 1. a num. 10. & § 3. nu. 140. Castillo, Sotomayor quotid. quæst. lib. 2. cap. 5. a nu. 29. docent. Et sicut priuilegio Pontificio constitui posset, vt in aliquibus causis profanis Clerici coram Iudice sæculari conueniantur, vt bene notat Couar. cap. 31. nu. 4. Garcia d glos. 9. nu. 43. Ita per immemorialem consuetudinem introduci in hoc Regno Aragoniæ potuit, vt in processibus Apprehensionis, Manifestationis, & Inuentarij priuilegiatis coram sæculari Iudice conueniantur, non refragante cap. causam, de præscrip. Nam hic textus in rebus spiritualibus, & beneficialibus; non in rebus profanis, & temporalibus procedit, quatenus sæculares Iudices reddit incapaces ad adquirendam possessionem in rebus spiritualibus. Et hæc consuetudo particularis est mixta inter Clericos, & laycos, & non grauosa, neque multum præiudicialis, aut damnosa Clericis, vt bene notat Dominus Regens Sesse de inhibit cap. 8 §. 3. num. 53. & 158. Qui quam plures refert rationes, & nos eas supra diximus.

Sed redeundo ad consuetudinem prædictam, licet fateamur magis cõmunem esse Doctorum sententiam asserentium, Clericos in realibus actionibus generaliter, & indistincte coram Iudicibus sæcularibus minime posse conueniri: Tamen ijdem etiam Doctores non negant in aliquibus causis particularibus hanc consuetudinem immemorialem præscriptam legitime sequendam esse, & recipiendam in iudicijs, vt diximus. In primis Bouadilla lib. 2. politi. cap. 18. num. 164. fol. 922. dicit: Secundum opinionem Innocentij in cap. Non minus, de immunitate Ecclesiarum. Clericos conueniendos in dictis realibus actionibus coram iudice sæculari. Et hãc consuetudinem obseruari in Regnis Franciæ, Nauarræ, & Valentiæ: quia magis contra bona, quam contra personas Ecclesiasticas proceditur. Et ibi in litera F. allegat pro hac opinione cap. Si quæ causæ. §. si itaque, 11. q. 1. ibi: Clerici ex officio sunt Episcopo suppositi; ex possessionibus autem prædiorum sunt Imperatori obnoxij. Et adducit cap. causamque, qui filij sint legitimi, ibi: Ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam

de

de possessionibus iudicare,& allegat alia decreta Pontificia, & leges, & Doctores.

Secundo Belluga in speculo Principum,rubr.13.§.Restat, n.5.inquit: Sed quid dicis in hoc Regno Valentino,vbi sunt Fori, quod tam Clerici,quam Layci conuenti super hæreditatibus,vel possessionibus, vel fructibus earum debent respondere sub iudice layco: quoniam a principio omnia fuerunt in Principis dominio,vt in Foro fin. de iurisdict.omn. iudic. Quæ sententia Bellugæ in hoc Regno applicari potest: nam Reges Aragoniæ, & signanter Rex Alfonsus, debellatis, expulsisque maioris, omnia prædia possessionesque temporales acquisiuerunt, & comparauerunt,& in suo dominio habuerunt: a quibus Regibus prætensam Villam de Mareca donatam fuisse dicto Capitulo Ecclesiæ Sedis Cæsaraugustanæ; ijdem Archidiaconus,& Capitulum allegant in 2. artic. suæ propositionis in præsenti processu Francisci de Blancas oblatæ. Et ita consuetudo prædicta ex dispositis, & constitutis in dictis Foris 23. & 24. ortam fuisse constat manifestissime.

Tertio Couarrubias dicta pract.31.sub num.5. inquit: Opinor tamen aliquot in casibus posse per consuetudinem legitime præscriptam, exemptionem istam restringi,& limitari: iuris enim est positiui, & humani immunitas hæc. Et ideo nisi ex ea parte, quæ dedecus imminet ordini Ecclesiastico,& graue damnum infertur quieti, & tranquillitati Ministrorum Dei, poterit restringi consuetudine legitime præscripta, quæ procedit a tacito consensu Clericorum,& laycorum simul. Sed ex hac consuetudine,nec dedecus,nec graue damnum, nec iniuria imminet, nec infertur dicto ordini,aut trãquillitati Clericorum, immo vtilitas maxima: Quia de iure licet bona emphiteotica ob canonem non solutũ, vel alias conditiones non adimpletas,personæ Ecclesiasticæ domini directi in cõmissum accidiant; ipsoque iure domini vtiles ea perdant: nihilominus etiam existente pacto propria auctoritate dominos vtiles dictorum bonorum emptores,vel alios successores a possessione sua naturali non possunt expellere: immo ad eam auocandam secundum ius processum ciuilem via ordinaria persequi debent,& experiri. Et domini vtiles possent multas exceptiones opponere contra commissum. Et sic sententia est necessaria ad comparandam dictam possessionem naturalem penes dominos vtiles stantem. Ita censuit Senatus Neapolitanus, secundum Afflict. decis.97.& docent Clar.de iure emphyt.q.11.Corbul.de cau.priu. ob nõ solut.Can.q.12.sub num.3. & q.13. quas ad finem tractatus posuit. Ergo vtilius est Ecclesiasticis dominis directis confugere ad processum apprehensionis priuilegiatum virtute commissi, quam via ordinaria agere; & veniendo ad processum apprehẽsionis censentur dictos tres articulos approbare. Et si obtinent in primo articulo Tenutæ; debent pati conueniri a partibus oppositis in eodem processu,coram eodem Iudice, in artic. proprietatis rerum profanarum,& temporalium.

Itaque licet magis communis opinio,vt diximus, videatur esse in contrarium: nihilominus ex consuetudine optimo iure,& ratione potuit introduci prædicta consuetudo,prout viget in Regnis Germaniæ,Franciæ,

Castellæ, Valentiæ,& Nauarræ,vt Doctores respectiue tradunt Bouadilla lib.2.polit.cap.18.num.364. Garcia dicta glos.9.nu.45.& Couar.dicto cap.31.nu.5.fol.227. loquens de consuetudine Galliæ, & allegans Fabrũ Aufrerium, Guillelmum, Benedictum, & alios non audet improbare eã: immo asserit:Non ita iniquam esse: immo fortasis aliquot ex causis admittendam, nec admodum improbandam; etiamsi iuxta sacrorum Canonum rigorem aliud respondendum foret.

Multo igitur mitior,& temperantior est nostra consuetudo huius nostri Regni Aragoniæ, vt in dictis processibus Apprehensionis,Manifestationis,& Inuentarij Clerici super rebus profanis in articulo proprietatis, coram Iudice sæculari conueniantur, propter rationem supra dictã, quæ etiam in Inuentario viget: iam enim per Foros nouos ab obitus est processus Manifestationis,& eius priuilegiata executio translata est ad processum Inuentarij, in quo etiam citatio foralis fit, sicut in Apprehensione,& eadem viget ratio. Quod si quis contendat a Iudicibus sæcularibus hanc tollere potestatem cognoscendi inter Clericos,& Laycos in articulo proprietatis,etiam quando Clerici sunt rei conueniendi, loquimur in rebus profanis,& temporalibus in dictis processibus Apprehensionis, & Inuentarij,comperiet experimento manifestissimo,quantum calamitatis Reipublicæ Aragoniæ inuexerit. Nam Ecclesiæ,Hospitalia, Monasteria, & Religio Sancti Ioannis quam plurima prædia, & domos, & bona immobilia temporalia, & profana ratione directi dominij habentes, quæ forsan ascendunt ad tertiam partem omnium bonorum sedẽtium in hoc Regno existentium, possessionem eorum ciuilem, & dominium directũ habent in hoc Regno Aragoniæ. Quæ bona solent in commissum accipere ob non solutum Canonem,& alias conditiones contractus emphyteotici non adimpletas,& cum commisso dicta bona per Iudices sæculares apprehendi,& sequestrari faciunt,& solent in primo articulo Tenutæ obtinere: Etsi domini vtiles non possent dictas personas Ecclesiasticas,& Religiosas,quæ obtinuerunt in lite pendente, in eodem processu apprehensionis in articulo proprietatis conuenire, sed extra Regnũ ad Romanam Curiam deberent accedere,quam plurimi etiamsi crederent se iustitiam habere in dicto articulo proprietatis, relinquerent dicta bona propter sumptus maximos ab eis etra Regnum faciendos, nec haberent qui eos defenderent viduæ, pauperes, & pupulli domini vtiles admodum læderentur. Propterea que Fori & Obseruantiæ huius Regni constituerunt merito, ne causæ Aragonensium extra Regnum extraherentur.

Et licet non stante processu apprehensionis dicti Archidiaconus, & Capitulum potuissent dictos Rectorem,& Patres coram Iudice Ecclesiastico conuenire: nihilominus quia iurisdictio Regiæ Audientiæ erat præuenta per apprehensionem in dictis tribus articulis, nequibant alibi eos conuenire,nisi in dicto processu apprehensionis, & coram eadem Regia Audientia in articulo proprietatis. Et quia prædicti Archidiaconus, & Capitulum poterant dictos Rectorem,& Patres in dicta Regia Audientia in eodem processu,in articulo proprietatis conuenire,continentiam,

& con-

& connexitatē instantiæ non poterant diuidere; sed debebāt eosdem co rā eodē Iudice, qui de possessione cognouit, super proprietate conuenire, secundum sententiam prædictorum Doctorum, & maxime Abbatis dicto cap. fin. num. 15.

Adhuc tamen dicti Archidiaconus, & Capitulum; secundam limitationem opponunt ad dictam l. Nulli, C. de Iudicijs, & ad similes supra allegatas dictis Rectori, & Patribus, videlicet, quando pars citata, & conuenta coram diuerso Iudice super proprietate, non opponit exceptionē dictæ continentiæ causæ, & connexitatis coram illo diuerso Iudice, valere tunc processum, & sententiam, quam tradunt Iason in d. l. Nulli, nu. 3. & alij communiter. Sed ista secunda limitatio minime suffragatur dictis Archidiacono, & Capitulo; cum enim ex citatione obtenta ad instantiā dictorum Archidiaconi, & Capituli ab Auditore Rotæ Romanæ Regiæ iurisdictioni grauis iniuria, & præiudicium inferreretur per dictos Actores priuando Regiam Audientiam suo iure, & Regalia in cognitione articuli proprietatis super dicto Hæreditamento apprehenso. De qua iniuria & præiuditio non est dubitandum, Principesque teneantur suam iurisdictionem tueri, vt tradit *Belluga in specul. Princ. rub. 14. §. veniamus. num. 13. & late* Dominus *Regens Sesse de inhibit. cap. 8. §. 3. num. 2.* dictā exeeceptonem Dominus Rex opposuit in Curia Iustitiæ Aragonum per suum procuratorem Fiscalem petendo & obtinendo Monitorium cōtra dictos Archidiaconum & Capitulum, vt a dicta citatione facta, vt asseritur, dictis Rectori & Patribus, & ab intentione litis in Rota Romana desisterent. Quod obtinuit mense Nouembris, anni *1609*. & dictos Archidiacono & Capitulo fuit præsentatum die 27. dicti mensis & anni. Necnon die 28. Martij *1612*. dictus Procurator Fiscalis, & D. Martinus de Pomar qui, vt dictum est, propositionem ratione dotis D. Marquesiæ de Mōcayo obtulerat in dicto processu Ludouicæ de Sanctafe super omnibus bonis, & repulsam passus fuit, ab eadem Curia Iurisfirmam obtinuerunt contra dictos Actores, qua inhibiti fuerunt dictam litem corā dicto Auditore Romanæ Rotæ prosequi, ac etiam ne in vim aliquarum sententiarum latarum extra Regnum, dictum Collegium priuarent sua commissione Regiæ Audientiæ, nec possessionem dicti Hæreditamenti acciperent. Quæ Iurisfirmæ inhibitio dictis Actoribus, & alijs cuiuscumque status personis dirigebatur & fuit præsentata & intimata dictis Actoribus. Quæ commonitorium & Iurisfirma instante Procuratore Fiscali Domini nostri Regis fuerunt prouisa iuste & recte: quia dicta l. Nulli. prorsus audientiam denegat ijs, qui causæ continentiam, & connexitatem volunt diuidere, & respectu Procuratoris Fiscalis ex doctrina *Bart. communiter recepti in l. sepulchri. n. 3. de sepulch. viol. dicentis*: si iudex ducatus præuenit cognoscendo de crimine contra Perusinum; si Perusinus Iudex cognoscere intendit de eodem crimine, potest Iudex primus illi inhibere, & quo quomodo turbatur eius Iurisdictio. Et quia priuatiue, vt supra diximus, ad Regiam Audientiam, quæ de possessione cognouit, de proprietate cognoscere spectabat, iniuria notoria Regiæ Iurisdictioni inferebatur. Ob quam potuit Serenissimus Dominus noster Rex mediante suo

Procu-

Procuratore Fiscali prædictis Actoribus præcipere, vt a dicta citatation, & lite coram Rotæ Auditore desisterent, iuxta *text. in cap. ex tenore de foro competen. vbi Ant. de Butrio n. 2. Abbas. num. 3. Imol. in princi. Osascus decis. 78. n. 12. Benedict. in cap. Raynutius. verb. & vxorem, decis. 2. n. 341.* vbi refert in terminis Arrestum parisiensem, & Aufrerium in tract. de Arrestis cap. 15 Quam obrem licet cum magna instantia pro parte dictorum Archidiaconi & Capituli fuit petitum multoties reuocari dictum Monitorinm &c. Iurisfirmam, Iustitia tamen Aragonum numquam ea reuocauit, sed confirmauit semper.

Hæc autem dictis Rectori & Patribus pro fuerunt, ac si coram dicto Rotæ Auditore dictam exceptionem continentiæ causæ non diuidendæ opposuissent initio litis: quoniam erant comissarij Curiæ, & posidebãt nomine Regiæ Audientiæ, quæ tenebatur eos defendere in sua commissione dicti Hæreditamenti apprehensi, & intererat Regiæ Audientiæ dictum Monitorium & Iurisfirmam obtinere pro defendendo suo commissario, & eius nomine posidentes. Et cum dicti Rector & Patres animaduerterent quidquid ab Auditore Rotæ esset contra eos iudicatum: nihilominus ob noxios se esse dictis D. Martino de Pomar & alijs prædictis partibus in dicto processu Ludouicæ de Sanctafe super apprehensione oppositis, qui suas propositi ones obtulerunt, & poterant coram eadem Regia Audientia dictos Rectorem & Patres conuenire in articulo proprietatis; & si dictæ partes in eo articulo sententiam in sui fauorem reportarent, teneri eis hæreditamentum apprehensum cum fructibus restituere, & viderent Foros huius Regni, Regiamque Iurisdictionem frangi & lædi in hac ciuitate & Regno, in quo commorantur; hac perplexitate ducti de consilio sapientisimorum virorum, non ausi sunt perse ipsos cõparere, nec se defendere in Rota Romana, nec dictam exceptionem continentiæ causæ &c. connexit atis non diuidendæ coram dicto Rotæ Auditore opponere, nec consense runt citationi, nec alijs omnibus actis dicti processus Rotæ Romanæ: Quinimo si dictæ Iurisdictioni Auditoris Rotæ se subiecissent instantibus dictis partibus oppositis in dicto processu Ludouicæ de Sanctafe, & Procuratore Fiscali Domini nostri Regis fuissent moniti, quasi auxilium præstantes turbantibus dictam Regiam Iurisdictionem, & quasi consentientes, vt Regia Audientia priuaretur sua Iurisdictione, vt a prædicta comparitione, & consensu desisterent. Et si Monitorio huiusmodi non paruissent; eorum bona & temporalitates omnes secundum antiquisimũ morem. Regni Aragonum occupata fuissẽt per Curiam Iustitiæ Aragonum. Et quia magna perplexitas sequi potuisset, si vnum dictus Auditor, & aliud diuersum Regia Audientia in dicto articulo proprietatis iudicaret; ideo, & profecto non animo contemnendi Ecclesiasticam & summi Pontificis Iurisdictionem, quam semper magni fecerunt & faciunt dicti Patres Societatis Iesu, sed dicta perplexitate ducti omiserunt coram dicto Rotę Audientiæ comparere. Quamobrem ob prætensam contumatiam dictorum Rectoris; & patrum non comparentium coram Rotæ Auditore nullum præiudiciũ eis fuit causatum: sufficit enim contra dictio Domini nostri Regis in dicta Curia Iustitiæ Aragonum secũ dum

dum leges huius Regni facta. Ex quo etiam infertur, stante contradictione dicti Serenissimi Domini nostri Regis mediante suo Procuratore Fiscali, licet dicti Rector & Patres Iurisdictionem Auditoris Rotę prorogauissent, is consensus & prorogatio nullius essent momenti, quasi tenderent in iniuriam & præiuditium dictæ Regiæ Iurisdictionis, & Regiæ Audientiæ, quæ priuatiue de proprietate Iudex erat, ac est. Ita Afflict. in ijs terminis decis. *155*. in fine asserens: Tamen quia partes prorogauerunt iurisdictionem sacri Consilij, & voluerunt facta executione sententiæ super dicto interdicto retinendæ, quod cognoscatur de causa proprietatis. Quæ quidem prorogatio fieri potuit, ex quo Vicedux Amalfiæ non contradixit, vt dicit Sinus in l. si quis ex consensu. *C*. de Episc. fuit postea iudicatum in causa proprietatis in fauorem illius, qui obtinuit sententiam super dicto interdicto retinendæ. Sed hic Dominus *R*ex contradixit, ergo nulla fuisset prorogatio.

Supra sæpe diximus ex dicta l. Nulli. Opposita exceptione, iuditium & processum diuersi iudicis ab eo qui de possessione cognouit, esse nullũ. Addimus: si Iudex prædictus facta contradictione, & opposita exceptione vlterius procederet, non esse necessariam appellationẽ, sed quidquid sequatur, nullum esse. Afflict. decis. *3*54. n. 8. & *12*. cum sequentibus. Adhuc etiam addimus, finito articulo litispendentiæ in fauorem dictorum Rectoris, & *P*atrum in dicto processu Ludouicæ de Sanctafe, non esse finitam litem super dicta apprehensione, vt probat dictus Forus 23. ibi: *El qual pueda tener aquella durant el pleyto sobre la dita apprehension, & recibir los frutos de aquella.* Vt manifestum sit, necessario & priuatiue Regiam Audientiam de proprietate huius *H*æreditamenti profani esse cognituram contra dictos *R*ectores, & Patres in eodem processu apprehensionis.

*E*x quibus omnibus liquido constat, sententiam latam a dicto Auditore Rotæ, quę in prætensis litteris executorialibus, in hoc secundo processu Francisci de Blancas exhibitis, refertur, esse nullam, & vt talem non habere exceptionem rei iudicatę, maxime ex deffectu *I*urisdictionis, nec aliquẽ producere effectum, iuxta textum in l, 4. §. Condemnatum. de re iudicata, & ibi, Bart. & scribentes, Couar. in pract. qq. 25. num. 2. & 4. Quia contra Monitorium, & maxime contra inhibitionem Iurisfirmæ prædictæ a dicto procuratore Fiscali & dicto D. Martino de Pomar obtentam dicti Archiediaconus & Capitulum vlterius coram dicto Rotæ Auditore processerunt? & quoad eos manifesta est nullitas, per textum in cap. non solũ § *1*. de appellat in *6*. Couar. in pract. qq. cap. 24. sub num. *2*. vers. 3. & vers. *4*. ibi: Hęc inhibitio Canonica, vt innouata reuocentur, tanti effectus est, quod reuocatio fieri debet, etiamsi is, qui appellauit, post modum appellationi renuntiauerit, quemadmodum notant Lapus & Dominicus, & adducit alios, & idem dicit vers. *5*. sequenti cum alijs pluribus Doctoribus. Quod eo diximus: Procurator enim Fiscalis iussu Domini nostri Regis, ad supplicationem dictorum Capituli & Archidiaconi, post latam a dicto Auditore *R*otæ sententiam, a dicto Monitorio, & Iurisfirma se separauit, vt hęc Regia Audientia cognosceret inter dictos Actores, & Rectorem, & Patres; An in vim dictæ sententiæ Romæ latæ, & eius executorialiũ esset

tollenda apprehensio, & restituendum dictum Hæreditamentum dictis Actoribus, secundum praxim Regni; quæ praxis in Beneficialibus causis tã tum, & alijs Ecclesiasticis, quæ privatiue ad Iurisdictionem Ecclesiasticã in articulo proprietatis pertinent, viget, vt dicemus. Et respectu D. Martini de Pomar fuit declaratum in eadem Curia Iustitiæ Aragonum dictam Iurisfirmam in certis casibus non inhibere. Et his factis dicti Actores dictas literas executoriales ad dictum processum apprehensionis Ludouicæ de Sanctafe adduxerunt, & supplicarunt, tolli dictam apprehensionem, & eis restitui dictum Hæreditamentum: Pro parte vero dictorum Rectoris & Patrum, & dicti Procuratoris Fiscalis supplicatum similiter fuit, declarari supplicata per dictos Actores locum non habere.

Itaque per multos dies vtriusque partis Aduocati fuerunt auditi a Dominis sapientissimis, & in legibus, & Foris Regni valde practicis Doctoribus Martino Godino ordinario Assessore, Dominico Auengochea, Augustino Pilares, Ioanne Canales. & D. Francisco de Pueyo, qui nũc meritissimus est Regens Cancellariam supræmi Consilij Regni Aragonum, & præ habito magno, vt res postulabat, examine, tandem maturo consilio & communi consensu, ac concordi dictorum Dominorum de Regio Consilio voto die *14. I*ulij anni *16*18. fuit pronuntiatum, supplicata per Procuratores dictorum Capituli, & Archidiaconi sedis Cæsaraugustanæ locum non habere. A qua pronuntiatione dicti procuratores dictorum Capituli & Archidiáconi electionem Iurisfirmæ fecerunt, quæ eis repræsentatis non fuit prosecuta, & anno elapso *1628*. dicta electio Iurisfirmæ fuit declarata deserta; & sic dicta sententia a dicta Regia Audientia prolata dicto die 14. Iulij anni *16*18 transiuit in rem iudicatam, ita vt iam nullus relinquatur locus dubitationi: An sententia lata ab Auditore Rotæ in petitorio effectum possessionis absorueat, iuxta dictum textum. cap. cum dilectus. de causa possessionis & proprietatis: Quoniam per dictam sententiam interlocutoriam decissa fuit ista quæstio in fauorem dictorum Rectoris & Patrum, quod propter rationes supradictas sententia prædicta ab Auditore Rotæ, tamquã a Iudice incompetente lata, est nulla; alioquin sublata fuisset apprehensio, dictumque Hæreditamentum dictis Actoribus restitutum.

Vltimo adducimus determinationem relatam a Mol. in verb. processus folio 267. columna 3. & 4. Vbi fuit dubitatum: An ommisso processu Iurisfirmarum, id est, superioris possessorij in processu apprehensionis posset fieri transitus ad proprietatem, in casu quo ad instantiam D. Ioannis de Fuxo apprehensa fuit Villa de Maella, & in eo processu fuit recepta propositio Petri Rocaberti Castellani Ampostæ. Demũ pro parte dicti Ioãnis de Fuxo fuit oblata petitio in proprietate dictæ Villæ de Maella. Postea vero pro parte dicti Castellani Ampostæ fuit oblata quædã Iurisfirma super possessione in eodem processu Apprehensionis, & petijt, quod prius in articulo Iurisfirmarum, ommisso articulo proprietatis procederetur, cum prius de possessione, quam de proprietate deberet cognosci, iuxta l. Ordinarij. C. de rei vendica, &c. Dictus vero Ioannes de Fuxo dicebat in cõtrarium, quod procederetur in vtroque, ad quod allegabat dictum cap. cum dilectus. Sed pro parte dicti Castellani Ampostæ dicebatur, dictum cap. cum

cum dilectus non obstare, quia ibi pars non opposuit, quod non poterat in vtroque simul procedi. Tandem fuit per omnes concorditer determinatũ in Consilio Iustitiæ Aragonum die 21. Maij anni 1482. quod debebat pariter in vtroque procedi. Tamen per omnes fuit dictum, quod in processu Iurisfirmarum dicti Castellani Ampostæ Ioannes de Fuxo solum daret rationes contra Iurisfirmam, quare non debebat recipi, & quod non daret aliam Iurisfirmam, in qua diceret, se possidere. Ecce determinatio concorditer facta per Curiam Iustitiæ Aragonum ab hinc 135. annis, quod in processu apprehensionis rei temporalis & profanæ, vbi persona Ecclesiastica, & Religiosa a *Iurisdictione Iudicis* sæcularis exempta, qualis erat dictus Petrus Rocaberti Castellanus Ampostæ obtinuit in articulo litispendentiæ, & altera pars succumbens potest eam conuenire, & contra eam offerre petitionem in eodem processu in articulo proprietatis super re profana & temporali coram eodem sæculari *Iudice*, qui de possessione cognouerat. Et per consequens fuit determinatum, dictum cap. final. de Iuditijs non habere locum in processu Apprehensionis.

Reliquum est iam, ad exemplaria, quæ in contrarium adducuntur, respondere. Primo enim obijciunt nobis, Mol. in verb. apprehensio. fol. 36. col. 1. & 2. Sed non obstat: quia ibi solum dicit: Foristas asserere dictum Forum 24. Declarando, nõ habere locum in Beneficialibus; quia si aliquod beneficium, seu dignitas est apprehensum, seu apprehensa ad manus Curiæ Iudicis sæcularis, & post receptam propositionem de litependente vni ex opponentibus; alius obtinet in proprietate in Curia Romana, & venit ad processum cum suis executorialibus, non habebit locum dispositio dicti fori, nec restituetur iuxta dictum forum, qui loquitur quando sententia est lata in proprietate rei profanæ post iudicium apprehensionis, & loquitur in sententia lata per Iudicem sæcularem in proprietate rei apprehensæ. Tamen si ille venit cum tribus sententijs conformibus, vel vna transacta in rem iudicatam in Curia Romana super proprietate Beneficij, seu dignitatis, cum suis litteris executorialibus, tollenda est Apprehensio, & illi restituendum Beneficium apprehensum per viam Iuris communis, sine oblatione idoneæ cautionis; & non fiet restitutio secundum dictum Forum; Declarando. Hæc dicit Mol. referens ad id plures determinationes. Et sequuntur Bardaxi in dicto Foro: Declarando. 24. num. 8. Pleban. verb. Apprehensio. 3. num. 9. Quamobrem hoc exemplar prædictis non obest: Nos enim in rebus profanis loquimur; non in Beneficijs, nec in vsura, nec in decimis, quarum cognitio in petitorio priuatiuè ad Ecclesiasticum Iudicem pertinet; licet in articulo possessorio ad Iudicem sæcularem pertinuerit.

Et hinc obiter ad aliud exemplar relatum per Pleban. in dicto verb. apprehensio. 3. num. 77. idem respondemus, loqui videlicet in vsura, cum instrumentum guarentigium a *Iudice Ecclesiastico* vsurarium iudicatur, tũc Iudex sæcularis, qui de possessione cognouit, illi, qui sententiam in petitorio ab Ecclesiastico Iudice obtinuit, restituere debet bona apprehensa virtute dicti instrumenti guarentigij: Quia Iudex sæcularis non est competens in quæstione petitorij, an instrumentum guarentigium sit vsurariũ necne, iuxta glossam receptam in cap. cum sit generale de foro cõpetenti.

Secun-

Secundo opponunt aliqui exemplaria relata ab eodem Mol. in verbo. sequæstrum.fol.306.col.4.& fol.307.col.1.Sed reuera huiusmodi exemplaria pro Iurisdictione Regia faciunt, quatenus apprehenso Archipræsbiteratu.Vallis Onsellæ, in eo processu in articulo litispendentiæ obtinuit Episcopus Oscensis contra Episcopum Pampilonensem, qui postea in Curia Romana sententiã obtinuit super spolio contra dictum Episcopum Oscensem, &, fuit eidem Episcopo Pampilonensi concessum sequestrum omnium fructuum dictæ vallis & executor sequestri locumtenenti Iustitiæ Aragonum litteras præsentauit,requirens sub pænis & censuris,quatenus Locumtenens mandaret, ne Commissarij eius Curiæ impedirent sequestratoribus perceptionem dictorum fructuum. Arrendator vero ab Episcopo Oscensi Commissario Curiæ dicebat,petita ex aduerso in dicto sequestro locum non habere, ex quo Curia Iustitiæ Aragonum primo sequestrauerat dictos fructus.Et fuit per omnes de Consilio determinatum, Locumtenentem Iustitiæ Aragonum non debere illud mandare: ex quo exercendo suam Iurisdictionem in casu ei a Foro permisso pronuntiauerat in litispendentia.Et refert fuisse dictum in dicto Consilio, hoc fuisse antea determinatum in quodam processu apprehensionis super Eleemosynaria Motis Aragonum,& insuper idem refert fuisse decissum die 3. Septembris anno 1491. Commissarios forales debere vti sua commissione,non obstante sequestro. Quanto magis quod erat lis super dignitate Ecclesiastica, &, non profana, & de fructibus ad eam spectantibus, & nihilominus fuerunt factæ dictæ determinationes.

Si aliud autem exemplar adducatur rei profanæ, vbi Dominus directus Præsbyter ob nõ solutum Canonem quasdam domus in commissum recepit, &, eas per Regiam Audientiam ob Commissum apprehendi fecit. In quo processu Dominus vtilis nullam dedit propositionem, & iuxta cõsensum ficti fuit recepta propositio dicti PræsbyteriDomini directi. Et postea Dominus vtilis eum citauit coram Iudice Ecclesiastico, & comparuit dictus Præsbyter, & dictus Dominus vtilis petitionem obtulit contra dictum Præsbyterum, vt commissum contra ius & Forum factum declararetur. Sed prædictus Iudex Ecclesiasticus optimum commissum declarauit contra Dominum vtilem. Hic vero ab ea sententia appellauit, & Iudicem Ecclesiasticum Synodalem impetrauit, qui commissum dictarum domorum nullum esse, pronuntiauit. Et hac sententia in rem iudicatam translata, cum litteris, executorialibus a dicto Iudice Synodali concessis ad processum apprehensionis Regiæ Audientiæ venit dictus Dominus vtilis,supplicans apprehensionem tolli, & signa Regia a dictis domibus, sibique eas restitui. In isto casu asseritur in processu Ioannis Antonij Antin de Vncastillo, super apprehensione sublatam esse apprehensionem & signa Regia & restitutas domos dicto Domino vtili anno 1619. Sed tamen hoc exemplar non obest in nostro casu: nam ibi Dominus directus, & Dominus vtilis prorogauerunt Iurisdictionem Iudicũ Ecclesiasticorum, & dictus Dominus directus nullam opposuit exceptionem, ne Ecclesiastici Iudices de proprietate dictarum domorum cognoscerent, nec Procurator Fiscalis pro Iurisdictione Domini nostri Regis

contra-

contradixit, nec Monitorium, nec Iurisfirmam obtinuit, ne dicti Domini directus & vtilis coram Ecclesiastico Iudice de proprietate dictarum domorum agerent, sed in Regia Audientia in dicto processu apprehẽsionis. Quamobrem non contradicente Fisco potuerunt prædicti Iurisdictionem prorogare Ecclesiasticam, iuxta dictam decis. Afflict. 155. & decis. 354. supra allegatas. Quod secus accidit in nostro casu.

Et profecto si Domini Rotæ Romanæ Auditores sapientisimi, & magna æquitate, & Iustitia referti intellexisent dispositionem Fororum 23. & 24. de apprehensio. & praxim ex eis desumptam, qua in hoc Regno gubernamur, & dictam supra consuetudinem non contrariam decretis Pontificijs mixtam Clericorum & Laycorum super rebus temporalibus, & profanis, necnon si cognonisent, quod dicti Archidiaconus, & Capitulum asserunt in dicta sua propositione in processu Francisci de Blancas Iurisdictionem dictę prętensæ Villæ, & Hæreditamenti de Mareca ab hinc triginta annis alienatam in Comites de Aranda, & ab eis possessam & præscriptam. Et insuper si sciuissent, in dicto Hæreditamento de Mareca, cuius sunt Domini directi dicti Actores, vt ipsi prætendunt, solum pertinere eis centum tria caficia terræ parum plus vel minus: cum reuera per suam sententiam vltra ducenta nonaginta septem caficia terræ ad alios Dominos particulares, tamquam allodialia pertinentia, eis adiudicauerint. Et denique si nota eis fuissent prædicta omnia, quæ adduximus ad probandum dictos Actores minime potuisse Rectorem & Patres prędictos super dicto Hæreditamento in articulo proprietatis coram dicto Auditore Rotę conuenire. Credendum maxime est, sententiam in dictis executorialibus litteris expressam minime prolatam ab eis fuisse, condemnando dictos Rectorem & Patres ad restituendum dictis Actoribus dictum Hæreditamentum simul cum Iurisdictione.

Ex quibus omnibus manifestisime constat sententias ab hac Regia Audientia in processu Ludouicæ de Sanctafe latas transiuisse legitime, & iuxta Foros huius Regni in rem iudicatam, atque adeo nihil eis obstare quicquid in contrarium per dictos Capitulum, & Archidiaconum in hoc nouo processu Francisci de Blancas adducitur, nihil enim quod alicuius momenti sit: allegatur de nouo: Caducitates namque, quę nouę videri possent, vel nullatenus constant, vel si constent, adeo sunt antiquæ, vt non solum possessionem dictorum Rectoris, & Patrum in bonis apprehensis excedant, sed etiam superent tempus immemoriale.

Quare absque dubitatione vlla propositio pro parte dictorum Rectoris, & Patrum in hoc processu secundo oblata recipienda videtur, reiecta & repulsa propositione dictorum Capituli, & Archidiaconi in hoc eodem processu similiter oblata. Salua in omnibus Censura Sanctæ Matris Ecclesiæ. Cæsaraugustæ die 24. Ianuarij anno 1629.

Doctor Martinus Godino
Regius Consiliarius.